



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XXV. Res præclarè gestæ, virtutes, mors, illustrium aliquot hominum
ejusdem Societatis, ab anno Christi MDCVIII. ad MDCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XXV.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XXV.

Res præclarè gestæ, virtutes, mors, illustrium
aliquot hominum SOCIETATIS IESU, ab anno
MDCVIII. AD ANNUM MDCXVI.



ANNO MDCVIII. Martini Antonii Delrii. Ioannis Uchalii.
Sebastiani à Campo. Sertorii Caputi. Pauli Hoffai. Faustini
Salodiani. Christophori Ægidii. Antonii Pine. MDCIX.
Francisci Foliani. Nicolai Serarii. Georgii Colibranti. An-
drea de Zea. MDCX. Simeonis Rivieri. Roberti Guiffoti.
Florentii Bouchorfiti. Ioan. Thenensis. Venceslai Ss^wibowski.
Caroli Carlantini. Thome Sanchis. MDCXI. Petri Ribade-
neira. Ant. Possivini. Eleutherii Pontani. Hieronymi Torris.
Ioannis Busai. Alfonsi Barrerii. Balisaris Pinna. Bernardi Colnagi. MDCXII.
Richardi Hallexi. Christophori Clavii. Stephani Szanti. Petri Scargæ. MDCXIII.
Sebastiani Sarmienti. MDCXIV. Oliverii Manarei. MDCXV. Claudii Aquaviva.
Fabii de Fabiis. Petri Ant. Spinelli. Iacobi Dei. Antonii Cardene. Sebastiani Bar-
radii. Petri Carilli. Petri Bellidi. Ioan. Cardimi. Tironum aliquot constantia vi-
rilis, & memorabilis ad Societatem vocatio. Desertores Societatis nonnulli morte
luctuosa, pœnisque gravibus, à Deo castigati. Congregatio Generalis VII. P. Mu-
sius Vitelleschus creatur Prapostus Generalis Societatis.



NE Liber XXIV. nimiam in molem excresceret, postremam illius par-
tem in hunc XXV. contulimus, eamque ab interitu insignis viri auf-
picamur, P. Martini Antonii Delrii, Antuerpiensis; quem Justus Li-
pius appellare non dubitabat ævi sui miraculum. Sanè annos tantum
natus undeviginti, antequam animum ad Societatem nostram adjiceret, commen-
tariis Senecam tragedum illustraverat: in quibus locos profert depromptos è
mille amplius auctoribus, quorum plerosque ne nomine quidem sibi esse cog-
nitos ipse Lipsius affirmabat. Præter antiquas & eruditas linguas, Græcam, Lati-
nam, Hebraicam & Chaldaicam; sciebat etiam Italicè, Hispanicè, Flandricè,
Gallicè & Germanicè. Poetarum, oratorum, historicorum quantum erat in om-
nibus Belgii bibliothecis, evoluisse ferebatur: idque non obiter, nec ita ut solos,

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Ppppp

quod

S. I.
P. MARTINUS
ANTONIUS DEL-
RIUS.

A. C. 1608.
Soc. 69.

quod plerisque usu venit, librorum titulos nosset; sed attentè ac meditatè, iis decerptis quæ in unoquoque insigniter dicta & pertractata observasset. Id apparet in Solino, quem eruditè observationibus explanatum edidit natus annos amplius viginti: itemque in Claudiano, quem selectis pariter adnotationibus perpolitum, altero post anno, videlicet MDLXXII. vulgavit: denique in doctissimis de jure commentariis. Nam ad Musas amœniores severiorum quoque litterarum studium addiderat. Percepta Parisiis philosophiâ, præsertim eâ quæ mores instruit, Duacum, ut juris scientiam perdisceret, se contulerat. Ea tum academia Philippi II. Regis Catholici auspiciis florens, Belgicam nobilitatem alliciebat. Duaco deinde Lovanium, Lovanio Salmanticam, ubi vigeant studia litterarum, profectus, collectas bonarum artium opes doctissimorum virorum consuetudine vehementer auxit.

I.
Ejus vitæ ac studiorum ratio ante initam Societatem.

Redux in Belgium cooptatus est ab eodem Rege Catholico in supremum Brabantia senatum. Quo in magistratu dum integerrimè versatur, elucubravit *Miscellanea scriptorum universi juris*: opus ingens, & infiniti prope laboris; omnes enim jurisconsultos, omnes eorum interpretes, perlegerat. Quod ne cui mirum atque incredibile videatur, juvat quam teneret studendi rationem, quam totius diei descriptionem servaret nondum inita Societate, cognoscere. Bene mane, postquam rei divinæ interfuerat, modico pane, quem intingebat in vinum generosum, caput ac stomachum labori præparabat. Deinde abdebat se in musæum, in eoque perdurabat usque ad multam noctem; donec eum famulus ad cenam, non raro invitum ac reluctantem, abduceret. In museo sellam ac pluteum subjectis rotis ita fabricandum curaverat, ut levi pedis impulsu per omnia librorum loculamenta seipsum ac pluteum, cum omni litterariâ supellectile circumveheret. Hac pertinaci assiduitate doctrinam excellentem, quæ nisi labore venalis non est, consecutus fuerat. Studendi contentionem in maximis negotiorum occupationibus non remisit: ac ne tum quidem, cum Brabantini Procancellarii munere auctus, & regio fisco præfectus fuit, anno MDLXXXVIII. Hoc in munere verissimam illam antiqui oratoris docuit esse vocem, qui tum demum rempublicam fore beatam prædicabat, cum eam philosophi, hoc est, viri sapientes ac probi administrarent. Quo tempore, ut erat omnium quæ in Belgio gererentur, apprime gnarus, Commentarios de *Belgarum seditione* conscripsit, Julii Cæsaris consilium & industriam æmulatus. Sed quia liberè, neque ad gratiam, scripserat, premedos tandiu duxit, dum ii quorum intereret, fato concessissent. Lucem tamen publicam citius aspexere, amicorum operâ, per quos editi sunt Madriti, sicut nomine Rolandi Natini Miritei, præfixo.

In hoc intestino Belgii tumultu, totque publicis ac privatis cladibus, instantiam rerum humanarum ac pericula perspicuens, portum quæsit, ubi conquiesceret. Eum obtulit Societas Jesu, in qua pietatem & doctrinam, familiares sibi à teneris unguiculis artes, florere cernebat.

2.
Societati JESU dat nomen. Ejus in ea occupationes, studia, virtutes, libri.

* Anno 1580.

Ut publicum, quo fungebatur, munus deponeret, causatus est iter in Hispaniam necessarium, domestici negotii obeundi gratia. Nam Delria gens ab Hispaniis originem ducit, exstantque illius egregia Segovia, & Burgis monumenta. Sanè maximi negotium hoc momenti Delrio erat, nempe negotium salutis æternæ; cui ut consuleret, in Societatis tirocinium se recepit Vallisoleti*, annum agens undetrigesimum. Hic, ille Brabantini senatus modo princeps, arbiter justitiæ, regii ararii præfectus, inter pueros tirones delituit. Nullum erat tam vile despiciatumque ministerium domi, nulla tam abjecta occupatio, quam non hilaris capefferet. Hæc animi religiosa demissio eluxit adhuc in eo clariùs, cum ad prima dialecticæ elementa revocatus est. Quamvis enim Parisiis Joannem Maldonatum philosophiæ magistrum audivisset, nihilominus in ea parte quæ mores instruit, magis versatus erat, quàm in altera, quæ disserendi subtilitatem tradit, ac naturæ scrutatur arcana. Quamobrem optimum factu visum est, ut philosophiæ spatium à carceribus iteraret. Quod ille tam feliciter est emensus, ut integram post paulò philosophiam Duaci magna cum ingenii laude docuerit: mox theologiam Leodii, Lovanii, Græcii, & Salmanticæ; ubique solidi vim ingenii cum pari pietate

tatè conjungens. Etsi autem litteras amœniore, quibus tam feliciter indulserat, non omninò negligeret, in majoribus tamen argumentis & utilioribus, quemadmodum institutæ vitæ ratio postulabat, otium quodcumque vacabat à docendo, consumpsit: cujusmodi sunt Commentarii in Canticum Canticorum, in Jeremiæ Threnos, in difficiliore locos sacrae Scripturæ; Adagia sacra veteris Testamenti; Vindiciæ Areopagiticæ; Florida Mariana; Polemica Mariana, & alii quidam libri de laudibus Deiparæ. Hanc enim tenerrimo quodam pietatis sensu, quasi melioris sibi vitæ auctorem, & parentem, semper coluit. Eandem præterea spectabat tanquam Ecclesiæ catholicæ certissimam tutelam adversus nefarios impetus hæreticorum; quorum errores, pertinaciam, fraudes ipse odio prosequeretur adeo capitali, ut quotiescumque de illis mentio incidebat vel levissima in congressu familiari, arderet vultus, pectus æstuarer, oculis auribusque perfidiam averfaretur. Neque tamen stilum stringebat nisi in pertinaces. Tunc ipsos cogebat si non amplecti verum, saltem intueri. Ab omnium tamen, etiam minorum, consuetudine amicos diligenter abducere nitebatur: ut in Justo Lipsio paruit; qui ab Hollandis ob insignem eruditionis famam accessit, ut publicè doceret Lugduni Batavorum, paululùm à rigida illa sapientia, imò Christiani hominis constantia deslexerat, non sine gravi catholicorum offensione. Absit autem ut virum tantum Calvinii deliria, quod nonnulli scripserunt, secutum arbitremur, quod profecto Delrius noster, pro suo candore, ac veteri usu, quo cum Lipsio junctus erat, non dissimulasset. Satis Delrius fuit amici periculum cognovisse. Consiliis suis & cohortationibus perfecit ut pedem è lubrico & præcipiti loco referret: id quod ipsemet Lipsius suis litteris testatur, datis Moguntia, XVIII. Cal. Maii MDXCI. *Amor, inquit, noster vetus & verus non permittit ut te celem facinus grande quod patravi. Dei benignitate eripui me è laqueis quibus implicabar, & salvus atque incolumis perveniam in Germaniam ad Patres vestros. Iuva o! me tuis precibus: post cujus salutare litteras Deum iterum iratum habeam, si unquam conquievi. Deo gratia esto, qui invitum & quasi reluctanter sic eduxit, & posuit in locis, ubi mihi, Ecclesiæ, & reip. possim esse utilis, quod serio recipio me, illo adjuvante, facturum. Letare, frater; qui verè fratrem & amicum recepisti, & ignosce omnia præterita: ita Deus tibi quoque ignoscat. Uxor, familia, & recula mea etiam nunc sunt apud Hollandos. Brevis eripiam, & palam bonis me reddam.* Rescripsit Delrius, & ad constantiam hortatus est, quam Lipsius ad obitum usque tenuit*.

*Obiit ann. 1666.
Vide Lib. XXII
num. 84.

Non contentus hæreticos insectari Delrius, veneficos etiam, illorum sobolem nequissimam, quæ per Germaniam tunc & Septentrionem latè grassabatur, operoso volumine debellavit; ac materiam per se obscuram, Tartareisque velut umbris oblitam, illustravit ordine pulcherrimo, ac mira ornavit eruditione tum sacra tum profana. Neque solum de scelerata magia, sed de naturali & artificiali, de sympathia corporum, de stupenda potestate imaginationis: de characteribus, numeris, amuletis, miraculis: de prophetia, divinatione, superstitione, disserit libris VI. quorum duo postremi docent quanam sint iudicium & magistratum partes in disquirendis puniendisque maleficis: deinde quæ sint sacerdotum in iisdem juvenis absolvendisque munera. Operi toti nomen *Disquisitionum Magicarum* fecit. Sæpius editum, hoc demum anno MDCVIII. ultimis curis perpolitum & auctum exiit. Aliud longè amplissimum meditabatur in omnes factorum librorum locos difficiliore, (sacra Scripturæ Pharus appellabat) nempe facem, quæ navigantibus in hoc divinarum litterarum oceano latentes scopulos, & portum veritatis ostenderet. Spissum opus, ac prope immensum, brevi perduxisset ad umbilicum, nisi mors intervenisset. Vidit impavidus dudum provisam, & summos inter calculi dolores, perceptis ritè sacramentis, beatæ immortalitatis expectatione lætissimus venientem excepit Lovanii XIV. Cal. Novemb. an. MDCVIII. ætat. LVII.

Inter alia virtutum ornamenta illud singulare ac proprium habuit, nihil ut vafre & subdolè moliretur aut diceret. Qua de causa Lipsius, in familiari ad P. Rosuvidum epistola, hominem eum vocat, *cui non mentiri solum nefas est, sed blandiri.* Proximum huic & affine decus erat ut virtutem, in quocumque demum esset, honeste an amico, diligeret. Nemini debitam laudem abrogabat, nemini arrogabat

indebitam; ab odio perinde atque ab invidia remotissimus. Nec mirum; quippe rerum veritate duci solitus, non vulgi opinione. Hæc ingentis animi excelitas religiosam ejus obedientiam admirabiliorem faciebat, qua præsidum jussa exquirebat diligenter, & scrupulosè implere conabatur. Hanc vivendi normam ac sententiam, quæ propria nostræ Societatis est, jam inde ab ipso tirocinio sibi præstituerat. Eandem ut retineret, valetudinis ac vitæ periculum adire non dubitavit. Cum enim Belgium ex Hispania repetens, æger Bruxellas vix attigisset sub Idus Octobr. deterreri morbo non potuit, quominus Lovanium excurreret, ubi Præpositum provinciæ versari audierat; ut ejus capefferet imperia, cujus voce, uti aiebat, Deum loquentem agnosceret. Eo itinere morbus ingravescens nullum faciendæ medicinæ locum reliquit.

S. II.

PP. JOANNES
UCHALIUS, ET
SEBAST. A CAM-
PO.

E vinculis corporis eodem anno evolavit meritis optimè de collegio Calisicensi P. Joannes Uchalius, Leopoltanus. Offensiones civium, quibus ignota Societas adhuc erat, in collegii primis incunabulis insigni prudentia & patientia mitigavit; iisque Societatem & utilem & caram fecit. Passim illum consilii capiendi causa optimates conveniebant, nihilque majoris momenti Posnaniensis antistes, nisi de ipsius sententia, suscipiebat. Viri prudentiam condiebat humanitas singularis ac facilitas in tolerandis injuriis: eaque vox percubuerat, provocandum aliquam injuria P. Uchalius, si quis præcipuè illi amicus esse commendatusque vellet. Hauserat lenitatem hanc, ut alter Moses, à *consortio Domini*: cujus suaviter, precando pluribus continenter horis, degustabat. Orationi subsidium mutuabatur à piis libris; quos ita sanctèolvebat, ut profanos, nisi officii lex vel obedientia cogeret, attingere formidaret. Instaurationem votorum, quæ fit in Societate statis anni temporibus, vitiorum sepulturam appellabat; neque patiebatur ut errata ante illam commissa fraudi cuiquam essent aut dedecori.

Majoribus exercita periculis arumnisque P. Sebastiani à Campo, Saffaritani vita fuit. Hanc ab anno MDXXVI. usque ad MDCVIII. perduxit, maximis ornatam virtutibus, nec obscura sanctitatis apud omnes opinione clausit*. Sacerdotio initiatus, ante ingressum in Societatem, tenebat jam tum eam vivendi rationem, quæ religiosum hominem deceret; orationi, jejunio, piis operibus unicè deditus. Noctes, quæ inter sabbatum & Dominicam diem excurrunt, precando integras ducebat; a sexta vero feria jejunium usque ad initium sequentis hebdomadæ protraherebat. Quadragesimâ totâ nihil adhibebat ad panem & aquam. Dum in Hispaniam è patria contendit, operam theologiæ daturus, & aditum tentaturus in Societatem, sub annum MDLXII. ab Algerianis prædonibus in servitutem abductus est, & hero crudeli, religionis Christianæ olim defertori, mancipatus. Illemitissimum sacerdotem, ruri opere laborioso vexatum, conficiebat inedia, & fustibus debilitabat. Barbari savitiam accendebat Sebastiani patientia, & omnium qui servitutem eandem serviebant, in eum amor ac veneratio; quorum alios nutantes in Fide confirmans, alios desperatione fractos erigens, omnes divinæ caritatis accendens igne, totum ergastulum in lyceum cœlestis disciplinæ converterat. Multi etiam, qui perniciosæ libertatis illecebra capti Christum Mahomete mutaverant, impietatem detestati, ad pristina sacra, eodem auctore ac magistro, se retulerunt. In iis locuples civis erat, Genuâ oriundus, qui clam ejurato Mahomete ad Christum reversus, repensum auri magno pondere Sebastianum impiæ servitutis exemit jugo, & Genuam secum duxit. Potius libertate, novis & suavioribus religiosæ vitæ vinculis in Societate nostra se obstrinxit, annos jam sex & quadraginta numerans. Tum vero non exuisse servitutem, sed mutasse meliori arbitratu, se tanquam mancipium vilissimum verberibus quotidie accipiebat atrociter; indusum setis equinis contextum promittebat genuum tenuis; cibo qui mortem arceret, non qui naturæ satisfaceret, irritabat famem potius quàm placabat. Interim hominibus à tristi vitiorum dominatu vindicandis intentus, habitabat in carceribus, in nosocomiis, in ægotantium & calamitosorum mapalibus: omnium onera & labores, si re posset; si non, saltem voluntate ac pietate tenerrima in se suscipiens: quod ingenium caritatis est.

Cum

* Die 6. Augusti.

Cum autem inter homines perpetuò versaretur, in humanis tamen, siue privatis, siue publicis negotiis, quibus renarrandis & ultro citroque disseminandis Fama pascitur, & otiosos pascit, hospes ac peregrinus esse videbatur. Imo quod gerebatur domi, nisi res ad suam spectaret curam, prorsus ignorabat: acciditque ut injecta mentione de quadam aula, quam domestici externique frequentabant, obstupesceret quasi ad rem penitus ignotam: cujusmodi quidpiam Divo Bernardo contigisse memorant. Nimirum sancti, dum in se Deoque habitant, & regnum illud possident, quod intra nos esse Veritas affirmat*, rerum humanarum varias vices, regnorum ortus & occasus, bella & paces, oculo irretorto, & animo semper æquo intuentur: quippe qui unam Dei voluntatem spectent, omnia sapienter, & pro imperio gubernantis; & unâ Dei gloriâ gaudeant, quæ ex humanis casibus, quocumque res tandem vertant, semper major efflorescit. Plurima prædixisse P. Sebastianus traditur, quæ fuerunt eventu comprobata: non pauca vidisse hominum intimis abdita mentibus, quæ cognosci, nisi Deo docente, non poterant. Plerumque à sacrificio perdurabat plures horas, motus omnis ac sensus expers: ut qui illum aut negotii causa, aut animi expiandi, præstolabantur, abire vulgo, infecta re, cogentur. Ex illo cum Superis commercio præscium futuri lumen hauriebat. Pia mulier, cum jaceret oppressa morbo, noctu vigil & experrecta vidit inferri suas in ædes sanctissimam Eucharistiam, quo more ad moribundos deferri solet. Denunciari proximam sibi mortem credidit, ac subeunti mane, ut ipsius confessionem exciperet, Sebastiano attonita significavit. Ille, Bono, inquit, animo esto; non te petunt hæc visa, sed aliam in iisdem ædibus degentem, quæ nec opina morte rapietur, prius tamen cœlesti viatico munita. Paucis post diebus ædium illarum domina, cum à sacra mensa, cui accubuerat in collegio Societatis, domum rediret, viribus & animo defecta concidit. Nobilem matronam graviter anxiam de marito, qui Genuam profectus nihil dabat litterarum, vetuit sollicitam esse; salvum conjugem Genua discessisse narrans. Nec ita multo post allatæ sunt literæ, quibus eum valere, & Mediolani esse cognitum est. Puellam solutioris vitæ aliquando graviter increpuit, certa quædam flagitia exprobrans, quæ illa demum verè objici confessæ est. Cavillantem nihilominus, & jocantem amaro fletu profectus est. Interrogantibus quid fletet, respondit cerne re se animo luctuosam puellæ necem, quæ vitam profligatam erat exceptura. Nihil verè locutum brevi patuit. Adolescens cum ei noxas in sacra confessione explicaret, pudore malo victus graviorem unam texit. Cui Pater: Ecquid vides, ait, dæmonem insufurrantem tibi ut hoc peccatum, quod reticisti, celare pergas?

Sassaritanum civem insanus obruebat mæror: latebat totos dies abditus in conclavi, lucem hominesque fugiens: & morbus, medicorum judicio, spectabat ad amentiam. Ad P. Sebastianum deducitur: qui Deum enixè precatus, mærorem absterfit, hominemque ad serenitatem pristinam, atque adeo hilaritatem traduxit. Accedentes ad se, priusquam vocem mitterent, occupabat; ac de negotii, cujus gratia venerant, exitu faciebat certiores. Ejus fratrem germanum à sicariis triplici confossum vulnere medici deposuerant. Accitus ad morientem, valere jussit ac vivere. Beneficium hoc debes, inquit, Beatæ Virgini, cui votivam spondidisti peregrinationem. Subiere ad curanda vulnera chirurgi; nec jam vulnera, sed pænæ obductas cicatrices conspexerunt. Aliis ægotantibus in acerbissima curatione, sensum doloris abstulit; aliis perditam valetudinem, aliis aurium usuram hebetatam & obtusam restituit. Multos contra vim dæmonum, & consilio & precibus armavit: tanto peritior in hoc belli genere, quanto experientior.

Audiebantur in ejus cubiculo totis ferè noctibus immanes leonum rugitus, anguini sibila, canum latratus; catenarum stridor, plagarum crepitus, clamores verberantium. Ipse hostium furorem immotus excipiebat, in eas erumpens identidem voces: De me quodcumque Deo videbitur, statuete; in manu vestra sum. Aliquando civis collegium ingressus, eum ut inviseret, cum ad ejus cubiculi januam adstitisset, miratus est ingentem strepitum intus cieri. Tacitus aurem admovit; ac per januæ rimam speculatus, vidit Sebastianum à quatuor ferocibus Mauris, instar pilæ protrudi; modo pugnis, modo fustibus contundi: nunc allidi

solo,

3.
In turba solitudo

* Regnum Dei
intra vos est.
Luc. 17.

solo, nunc ligatis pedibus raptari. Exclamat: sed eodem temporis puncto tantus illum horror invasit, ut totis artibus contremiscens; agrè se proripuerit, dielque multos vocis expers nec satis sui compos manserit.

Neque collegii finibus satellitum Erebi rabies inclusa se continebat. Hærebant ejus lateri velut affixi, quocumque pergeret. Iter facientem subitus oppressit turbo: imber lapideus in unum depluit, nemine comitum violato: ipse toto corpore debilitatus jacuit: nec tamen exstabant in attritis membris vulnera, nulla gravissimi doloris indicia. Nonnunquam domi cum federet inter agrestes, quos erudiebat, subita tempestas sereno cœlo coorta fenestras portamque grandine densissima verberabat; mugiebant tonitrua, fulmina undique prorumpabant. Sexcenta ejus generis perfererat incredibili patientia: gratias agens Deo, qui famulos interdum suos objicere Tartaro sævienti amat, ut ejus declaret imbecillitatem; illorum constantiam ostendat, purget errata, virtutem probet, tolerantiam denique muneretur. Itaque nunquam oravit Sebastianus ut esset eo cruciatus liber; quo alios liberare nullo negotio solebat. Quos in vita senserat infensissimos hostes, aciores in suprema pugna expertus est. Emersam è regno tenebrarum aciem sustinuit, armatus Cruce; & vicit. Victoriæ radius candidissimæ lucis à collegii tecto in cœlum usque pertinens, indicare visus est: & eadem nocte oblatus ægoranti mulieri, cujus animum & pietatem moderabatur, totus auro & additâ fronti stellâ collucens, ægram persanavit. Paulo post uni è nostris videndum se præbuit amœno vultu; & eum de condonatis peccatis, quorum recordatione molestissima pridem angebatur, admonens, adjecit ut alacritate nova capeferet virtutem, ac noxas omnes summa contentione fugeret. Aliis subinde non uno in loco insigni gloria conspicuus apparuit. Ejus cadaver ab irruentis populi pia crudelitate, capillos, ungues, digitos præcidentis vindicari non potuit. Salutares plerisque fuisse istas exuvias liquet multorum testimoniis; quæ legitimo in judicio cognita, & à juratis fuerunt excepta testibus, jussu atque auctoritate Andrea Bacallari Saffaritani Archiepiscopi.

§. III.
PP. SERTORIUS
CAPUTUS, ET
PAULUS HOFFÆUS.

* Ad Rom. 12.

* Num. 66.

Sic nempe usuenit, ut quanto tractant pejus sancti sua corpora, tanto illustrius eadem post obitum splendeant. Eaque non immeritò videtur fuisse causa, cur P. Sertorii Caputi, Itali, corpus integrum, quinto quàm obierat anno, reperi- tum sit, blandè fragrans, molle ac tractabile; qui dum viveret, quotidie illud acri flagello, ferreis mucronibus horrido, quater dilacerare consueverat. Nocturnam quietem capiebat nixu genibus in tabula aut storea. Cilicium nunquam deposuit. Horis singulis descendebat in se se, ut expenderet num qua in re displicuisset Deo. Vehementer nostris omnibus auctor erat idem ut facerent, seque sæpissimè offerrent Deo, *hostiam viventem, * in odorem suavitatis*. Porro qualem offerebat se Deo, talem ipsa re præstabat, nempe accuratum in omni virtutis officio; indefessum in procuranda salute proximorum; invictum adversus famam & rumores sinistros. Multa traduntur illi divinitus monstrata; multa prædicantur de singulari ejusdem pietate erga sanctissimum Sacramentum, Angelum Custodem suum, ac præsertim erga Deiparam, ad cujus cultum omnes impensè hortabatur.

Peculiari ejusdem Sanctissimæ Virginis colendæ studio flagrabat P. Paulus Hoffæus, de quo jam mentionem fecimus Libro XI. * Illi, ac P. Petro Caniso, accommodabat Albertus Bavariæ Dux, quod de Principibus Apostolorum Ecclesia canit: *Petrus Canisus & Paulus Hoffæus ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine*. Sane utriusque potissimum curis & Apostolica vigilantia stetit in Germania catholicam religionem constare, quam Lutherani convellere nitentur. Operam Hoffæus imprimis dabat ut colloquiis & conventibus, ea tempestate per Germaniam haberi passim solitis, vel adesset ipse, vel quispiam alius è Societate, ad confirmandos in catholica Fide Principes, & refellendos artifices novitatis. Quatuor Congregationibus Generalibus interfuit, ac suffragium tribus eligendis Generalibus Præpositis tulit. In earum postrema nominatus Assistent Germaniæ, illud munus cum per decennium administrasset, sponte abdicavit ob eas, quæ sunt Libro XI. narratæ, causas. Erat Hoffæo solida & germana virtus, sed paulo rigidior. Et vero sanctitatis diversa quasi est indoles in diversis hominibus, etiam optimis: utque fruges

ges naturam soli, modò humidioris, modò sicciore, referunt; ita virtus ad certum cujusque ingenium ferè fingitur. Itaque Hoffæus duriter ac severe decernebat omnia; & Claudium Aquavivam natu minorem, senili fiducia graviter admonebat. Id Aquaviva submolestè ferens, quia sæpè tempus deliberandi altercando terebatur, Hoffæum rogavit ut alium sibi Assistentem subrogari pateretur. Annuit, ejsq; in locum suffectus est P. Edmundus Haius: ipse in Germaniam profectus Visitatoris nomine, munus hoc administravit singulari prudentia & æquitate. Consequit Ingolstadtii, annis ferme LXXXV. decursis. Verborum ac ciborum erat parcissimus: surgendi solitum tempus antevergens, tres quotidie horas in oratione collocabat. Cum aliquando gravis illum invasisset morbus, unus è Sociis P. Joannes * Rastallus, Anglus, pro tam caro capite, tam Societati necessario, suum ipse devovit caput; Deum obnixè rogans, ut hoc votum ratum haberet. Habuit ratum Deus: reversus domum Rastallus decubuit, & occubuit; surrexit Hoffæus, & valuit.

* P. Henr. Morus
in Hist. Provinc.
Angl. Lib. I. n. 16.

In levissimis religiosæ vitæ officiis obeundis incredibilem diligentiam adhibebat; & quidem alieno doctus periculo. Nam sæpe in ejus conspectum veniebant animæ mortuorum, è piacularibus emeræ, ad implorandam opem, flammis, ubi se propter delicta, quæ mortales leviora vulgo censent, graviter cruciari testabantur. Quod ille interdum renarrans, aliquos è nostris, præcipuè junioribus, in observandis religiosæ disciplinæ legibus negligentiores admonebat increpitans; & ipsos ad se idcirco, morte obita, venturos dicitabat. Post stipendia quatuor & quinquaginta in Societate facta, circumstantes Socios moriens obsecrabat, ut Deo libenter ac liberaliter inservirent. Inter primos adolescentes Germanico collegio, quod S. Ignatius Romæ moliebatur, destinatos anno MDLII. adscitus, triennio post ab eodem Societati adjunctus fuerat. Aiunt, cum Bingii (quod illi natale oppidum fuit, in Moguntina diocesi) adhuc puer è summa turri decideret præceps, vovisse Societatem se ingressurum, si periculo defungeretur: humi graviter prolapsus, statim in pedes erectum & incolumem constitisse.

4.
Leves noxæ quæ
diligenter fu-
giendæ.

FAUSTINI Salodiani, rerum domesticarum in Societate administri, obscura humilitatis rudio virtus fuit, dum viveret: hanc Deus illustravit, postquam vivere desit. Illatum templo Novellariæ fuerat ejus cadaver, jam jam terræ mandandum. Irrupit mulier à malo dæmone vexata, perfractis vinculis. Tum vero lamentari possessor Tartareus, ac suam flebili voce sortem deplorare. Mene, inquit, cœlesti solio excidisse, quod iste homulus, nihil aliud quam scopas tractare doctus (nam Salodianus templi nostri æditus erat) insideret! Ad hos gemitus concurrente populo, interrogatur quorsum in ejus morte plangeret, qui tot virorum doctrina & virtute præstantium funera tacitus præteriret. Respondit se ab illo, non item ab aliis, torqueri; & ad ejus gloriam virtutemque prædicandam, quamlibet invitum, adigi. Incessit omnes cupido cognoscendi aliquid distinctius de viri obitu. Ergo sciscitantur quam sanctè obierit; quis cœlitum supremo in certamine suppetias tulerit; quas ipse illi struxerit insidias. Mihi vero, inquit, meisque nihil in istum licuit. Aderat morienti nostri generis hostis infensissima, Regina Superum: aderat militi suo conditor Societatis Ignatius. Angelus vero ejus custos ita omnes aditus interclusit, ut ne otiosis quidem spectatoribus nobis esse licuerit. Hæc illa sunt subsidia scilicet, quibus dum fulcitur naturæ mortalis imbecillitas, infernam vim & *Spiritualia nequitia* debellare potest. Felix, qui vivens ita se comparat, ut moriens indignus illis non sit!

§. IV.
FAUSTINUS SA-
LODIANUS, ET PE-
TRUS POZZOLIUS.

* Ephes. 6.

Iisdem munitus Divorum, ac præsertim S. Barbaræ, præsidii, ibidem supremum spiritum effudit Petrus Pozzolius, rei pariter domesticæ adjutor. Fauces præcluserat angina, & enatum ulcus in gutture cœlestis Viatici accipiendi spem nullam relinquebat. Audiverat datum hoc fuisse divinitus uni cuiquam è sanctis, ut cultores suos absque sacramentis interire non sineret. Rogat illius nomen à circumstantibus. Divam Barbaram renunciant. Orate, inquit, illam ut me Viatico destitutum carpere iter supremum non patiat. Procumbunt omnes in genua supplices. Detumuit angina, tussis molestissima resedit, aditumque divino ferulo

5.
Divæ Barbaræ
patrocinium.

culo liberrimum præbuit, quo refectus æger se in viam æternitatis alacer, & spei bonæ plenus dedit.

S. V.
PP. CHRISTOPHORUS ÆGIDIUS, ANTONIUS PINAS, ET FRANC. FOLIANUS.

* III. Reg. c. 2.

Conimbricæ eandem *universa terra viam* * ingressus est P. Christophorus Ægidius: cujus inter egregias dotes ea merito prædicatur, quòd pieratis tenerræ sensum conjunxerit cum præstanti eruditione. Sic enim ferè fit ut illa mentis contentio, quam litterarum studia postulant, sapore obtundat cœlestis sapientiæ; dumque intelligentia in rerum humanarum cognitione suaviter acquiescit, voluntas parcius divinas gustet, imo illas penitus aliquando fastidiat. Quasi animus noster utrique muneri par non esset, idemque illi accideret quod fluvio in duos alveos diviso, quorum unus dum abundat, alter vulgo exarescit. Illud etiam in P. Ægidio fuit observatum quod, cum solertia singulari valeret in mutuis colloquiis ad pium aliquod argumentum derivandis, tum vero illa prorsus abrumpebat, si quis alienam famam maledico dente vel levissimè carperet. Ut morum integritatem, & illibatam candorem innocentiae ad vitam religiosam atulerat, sic purissimum angelicæ virtutis florem in omnium animis, quibuscumque posset artibus fovere contendebat. Cum vero castimoniam non alia magis comite gaudere intelligeret, quam humilitate, hanc habebat in deliciis. Cum infimo quoque frequens esse, se suaque aut silere aut despiciere; laudare non exiliter aliena; vix adduci ut quæ de theologicis acute ac subtiliter conscriperat, ederentur in lucem; editis non magna patronorum potentium nomina & ambitiosos titulos, qui libris adderent pondus, præferre; sed uni dedicare Deo Optimo, Maximo, quem unum litterarii laboris arbitrum spectaret ac præmium.

Eisdem coluit in Eborensi, ubi decessit, collegio virtutes P. Antonius Pinas. Sæpe jumentum clitellarium agere per confertam urbem conspectus, sæpe manticam cibariis onustam gestare. Superiorum scholarum splendorem vitaverat, licet in iis elucere posset. Ter grassanti pestilentiae se obtulit, ac certum vitæ periculum, juvandis peste tactis, adiit: eos ita munire sacramentis, versare & curare solitus, ut sanctæ temeritatis notam vix effugeret. Bellum, ubicumque versatus est, impudicitiae apertum indixit: obscenos Veneris greges nunc arte, nunc vi compellebat in fugam: obstinatis in flagitio mulierculis pœnam irrogandam; receptum pœnitentibus comparandum, curabat. Noctu stabat semper expeditus ad confessiones eorum qui sacerdotem accesserant, audiendas: ac pridie ejus diei quo cessit ingruenti morbo, rogavit ut ægritudo sua rectorem collegii celaretur, ne alteri provinciam hanc demandaret.

6.
Affinium & patriæ sancta oblitio.

Quam penitus ex animo amorem & curam affinium ejecisset, vel hoc unum argumento est. Quispiam è nostris peregrè adveniens salutem ipsi à fratre & mandata quædam dabat. Quid hocce rei est? inquit: adhuc vivit germanus frater? Illius epistolam à tribus annis accepi, & obsignatam alicubi, ni fallor, habeo: quid illo deinde factum sit nec scio, nec scire curæ est. Sic olim S. Ignatius affinium litteras ex ultima recens allatas Hispania, quas trepidus ac lætus janitor afferrebat, in ignem, ut erant in fasciculum colligatæ, jecit. Annum attigit septuagesimum, cruda semper & viridi senectæ usus; quæ illi reddita videretur a Superis merces generosæ in religiosa vita, contra medicorum sententiam, amplectenda constantiæ. Cum enim, ob gracilitatem imbecilli corporis, non facile in Societatem admitteretur, urgeretque propositum nihilo secius, & nullum rogandi instandique faceret finem; medicis ostendere adolescentem placuit. Pronunciarunt posse juvenem annos tres, ad summum quatuor, vivere. At ego, retulit, & in Societate vivam, & vobis omnibus ero superstes. Vixit in Societate, omnibusque superstes fuit.

A. C. 1609.
Soc. 70.

In iis, quos anno MDCIX. amisit collegium Romanum, meliore donandos vita, peculiari commendatus elogio reperitur P. Franciscus Folianus, ac tanto certè dignior laude, quanto laudes humanas pejus oderat. Nam & ipse despiciebat se se, atque ab aliis negligi despicique in ingenti ponebat lucro. Sacerdotii honor invito, ac pæne per vim, ingerendus fuit. Afflictandi corporis artes omnes exhaustisse videbatur. Itaque novas quotidie pœnarum formas indagabat: contra atque factitant mundi amatores ac sui, quibus unum opus est novas voluptates

ptates quotidie comminisci. Repertus fuit aliquando in summo colle, sub ardenti sole orans, & collectis e vicino dumeto urticis nudo corpori appressis obsitus. Æstivos calores, qui sunt in Urbe non modici, variis augebat modis: imbres hibernos nivesque sæpe aperto capite excipiebat, inambulans sub dio. Nulla tanta vis unquam frigoris fuit, quæ illum accedere ad ignem cogeret. Pro triginta sex nummorum millibus, quæ matrona locuples collegio Neapolitano erogaverat, cum alii alia piæ liberalitatis rependerent opera, ipse triginta sex pœnarum voluntariarum millia spondit: quem numerum tribus exactis mensibus explevit.

Quamvis interdum invictum ab oratione Deique præsentia spiritum non relaxaret; nocturnis tamen horis libentius orabat, ante aram toto corpore prostratus. Ceterum nequaquam ita vacabat Deo sibi que, ut proximorum salutem & utilitates negligeret. Multorum è nostris, quos minus bona uti valetudine suspicabatur, cubicala clam verberat, componebat lectulos, commodis ingeniose serviebat.

Erat in agro suburbano amplum Romani collegii prædium, cælo fermè insalubri. Confluebat hunc in locum ingens aratorum numerus & messorum, subibatque delectus è collegio sacerdos ad faciendam rem divinam, & ministranda illis sacramenta. Huc itare consueverat Folanus, & hoc ipso anno MDCIX. per calidissimam æstatem laboriosè perfunctus operà, domum se recepit æger, atque imminentis morbi gravioris indicia non leviter præferens. Dies pauci fluxerant cum iter idem illi obeundum imponitur. Non recusavit ille quidem: sed, ut regulæ nostræ, quarum servantissimus erat, monent, minus belle sibi esse dixit. At, si propter dicentis modestiam periculum justo levius fuerit judicatum; si itineris necessitas aliud suaserit, jussus est nihilominus pergere. Ivit, cumque pestilenti febre Romam reversus, obedientiæ caritatisque præmium religiosa morte adeptus est. Patriam habuit Vallem Tellinam: annos confecerat ferme sexaginta. Sæpe illum Angeli sui conspectu dignatum, aliisque haud vulgaribus affectum à Deo beneficis, non dubia fama tradit. Quid quod in exsecto post mortem corde tria caruncula tubercula sunt animadversa: quæ præter naturam præterque usum esse medici affirmarunt. Quasi vestigium id fuerit Sanctissimæ Triadis, quam vivens in corde pariter atque ore habuerat. Sane quoties adorandæ Trinitatis audiebat nomen, non tantum honorem illi habebat aperto capite, sed toto etiam corpore incurvato. Ejus autem imagine conspecta, humi se pronum abiciebat, & oscula infigebat solo. Noctem, quæ festo Trinitatis præit, vigil & in templo excubans; consequentes vero dies octo incredibili delibutus gaudio ac pietate decurrebat. Quin, ipsum numerum ternarium, tanquam ineffabilis mysterii monumentum, eoque veluti consecratum, ubicumque occasio dabatur, adhibebat. Cadaver jussu Præpositi Generalis separato in loculo conditum est, cum hac inscriptione: *P. Franciscus Folanus, Societatis IESU, eximius S. Trinitatis cultor* *.

Amisit eodem anno MDCIX. Moguntia P. Nicolaum Serarium, Lotharingum; profanis æquè ac sacris litteris insigniter eruditum. Editus in lucem anno MDLV. Societati se dicavit anno MDLXXIII. Sacras litteras in academia Herbipolitana, deinde Moguntina per annos viginti docuit, magna nominis celebritate. Francisci Filidini detexit insidias, & errores coarguit. Is vetera Pelagianorum & Chiliastrarum somnia revocare conabatur, ac libellum hoc veneno madentem Herbipolitano antistiti obtulerat. Præsul Serario perlegendum dedit, qui & virus arte multa tectum perdidit, & refutatis erroribus antidotum opposuit. Id crebris usurpabat sermonibus *Pro hæreticis non orandum modo esse, verum etiam studendum*. Utrumque strenuè præstabat, & ad stabiliendam ornandamque Fidei nostræ veritatem, quidquid in oratoribus, historicis, atque ipsis adeo poetis legeret, referebat: eruditorum sæpe deplorans vicem, qui, cum hisce velut Ægypti spoliis Dei Arcam ornare possent, iisdem abuterentur aut ad captandam inani plausu famam, aut ad explendam sciendi famem. Neque vero satis esse affirmabat, si quis arma compararet, quibus errantium pertinacia vinci posset; nisi efficeret etiam, ut vinci se paterentur. Hoc ipse assequeretur suavissima comitate. Itaque hanc à religionis insensissimo adversario laudem tulit, *Nicolaum Serarium humanissimum & eruditissimum Jesuitam esse*.

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Q9999

Tan-

7.
Obedientiæ studium. Cultus SS. Trinitatis.

*Obiit die 29. Septembris.

§. VI.

PP. NICOLAUS SERARIUS, GEORGIUS COLIBRANTUS, ET ANDREAS ZEA.

8.

Pro hæreticis non modo orandum, sed etiam studendum.

*Tom. XII. An-
nal. ad an. Christi
†126.

Tanto illustrius testimonium eidem Cardinalis Casar Baronius dedit, quanto est auctor venerabilior; cum illum Ecclesie Germanicae jubar appellavit*. Neque injuria, ut Serarii lucubrationes erudita, & amplius triginta volumina in lucem edita ostendunt. Plura edidisset nisi eum immatura mors, vel potius studendi assiduus, qui vel robustissimam naturam depascitur atteritque, labor anno aetatis quarto & quinquagesimo confecisset. Scientiae vermem, qui rodere occulto morfu doctrinarum fructus consuevit, hoc est superbiam, & magnos quibus docti vulgo tument, spiritus comprimere omni studio perhibebat, & magnos quibus gloriae amplitudinem sensibus intimis percipiebat: nihilque in ore habebat frequentius quam intercalarium, quo psalmi Davidici clauduntur, versiculum, & quo debitam sempiternae Trinitati gloriam in omne aevum comprecamur.

P. Georgium Colibrantem, Mechliniensem, excellens in communi vita virtus non communi dignum laude reddidit. Modestia singulari, & sancta quadam simplicitate prudentia quamplurimos ad meliorem frugem & religiosam vitam perduxit. Frequens illi de beata aeternitate sermo: ex quo licebat intelligere ubi cor, ubi thesaurus ejus esset. Nunquam de ulla re conqueri est auditus, nisi quod cum ipso, praesertim aegrotante, mitius quam dignum censebat, ageretur. Hoc a Deo beneficium exorasse traditur, ne qua fluere ipsi dies (prope dixi hora) vacua cruciatu. Eminebat in orante pietatis ardor praecipuus. Itaque illius precibus felix rerum difficillimarum exitus saepe est attributus. Et vero armatas pia severitate preces adhibebat: nec desiderii tantum & votis, sed multo sanguine divinam expugnare bonitatem nitebatur: praesertim si cujus salus veniret in discrimen, aut si quem e coeno vitiorum eripere moliretur. Sacro poenitentiae tribunali velut affixus, dies fere totos in templo conterebat, etiam profestos, quibus major esse solet a confidentibus peccata solitudo. Certè mercatores officinas idcirco suas non deserunt, quod emptor nullus aut rarus adsit. Quotidie, ante mediam noctem, horam integram meditandae aeternitati tribuebat: meditationem excipiebat atrox corporis verberatio per quartam hora partem. Poenas quibus in se ultro saeviebat, ludum appellabat puerilem: sive studio humilitatis, qua se suaque omnia valde aspernabatur; sive illam Apostoli vocem reputans; *Momentaneum & leve tribulationis nostra* *. Jussus modum voluntariis ejusmodi cruciatibus ponere, Deum suas obiturum vias respondit. Ac sanè ignotis quibusdam vexatus est postremo vita biennio, morbis; quorum causam, nisi post ejus obitum, medici profus ignorarunt. Is contigit Duaci, IV. Nonas Novemb. annos LXX. compleverat.

Simili patientiae atque humilitatis studio P. Andreas Zea, Hispanus, grammaticam annos quatuordecim docuit. Traditos sibi in disciplinam pueros ad omnem virtutis palastram formabat arte praecipua; & vetus S. Francisci Xaverii exemplum, ut unum aliquem illorum expugnaret, renovavit. Cum enim adolescentem obfirmatum in flagitio frustra conaretur ad frugem corrigere, non dubitavit expedito flagello cruentare se se, donec puer, qui aderat, commiseratione motus, ac tanta domitus caritate, oraret veniam, & meliora sponderet.

Primum anni MDCIX. diem habuit supremum vitae, sed multo ante provisum. Quippe ut mortis memoriam non solum in animo, sed in ipsis veluti oculis defigeret, particulam sacrorum cinerum, quos ineuntis Quadragesimae pia caritonia frontibus Christianorum inspergit, reservabat; ut illo tacito aspectu admonitus mortalis miseriae, de immortalis felicitate cogitaret. Huic vero cogitationi ac rerum caelestium contemplationi horas quotidie ternas vel quaternas dabat: & orationis beneficio, quidquid à Superis peteret, impetrare ferebatur.

PAREM in precando diligentiam & contentionem adhibebat, quem collegium Auscitanum anno MDCX. extulit, P. Simeon Rivierus, Campanus. De illo jure dixisses, vivere ipsum ut oraret. Suavissimè afficiebatur meditandae Christi morientis historia. Oriebatur ex ejusmodi meditatione singularis humilitas, quae hominem eruditum ceteroquin, jamque sacerdotem, demisit ad munia domestica per septem annos obeunda. Deinde studium obedientiae, cujus exemplum edidit illi par & geminum, quod in S. Ignatii vita memoratur. Cum enim aliquando paratus ad sacrificium prodiret è sacro vestiario, monitus nomine rectoris ut sacerdotales

* II. Cor. 4.

9.
Mortis memoria.

§. VII.
PP. SIMEON RIVIERUS, ET ROBERTUS CUISSOTUS.

A.C. 1610.
Soc. 71.

tales vestes deponeret, adessetque mandati quidpiam accepturus: paruit; ne tantulum quidem commoveri visus. Odio sui flagrabat adeo capitali, nullam ut sensibus voluptatem, quam quidem negare merito posset, indulgeret: bellum ubique secum gerens, nulla induciarum spe. Illius caritatem unus è sociis acuta vexatus febre sensit. Rivierus se pro illo subditiciam & vicariam Deo victimam obtulit, febremque illi ademptam in se pia permutatione transtulit. Opraerat pro suo erga Deiparam studio mori eo die, qui Virgini sacer in hebdomada est. Exoravit. Quare festinantibus nostris in suprema illius ægritudine, ut sacro ungeretur oleo; nihil opus esse properato dixit; neque enim se ante certam, quam appellabat, diem moriturum. Hæc sabbatum erat, ac postrema ducta per annos LXXX. vitæ fuit.

Patrem Rivierum proximè secutus est P. Robertus Cuisnotus, Cabillonensis. Christi Crucifixi mysteria tam penitus animo insculperat, ut aliud scire nihil videretur. Ea vero cogitatione ita erigebatur in spem, ut conscientia imbecillitatis ac vilitatis suæ, quam intimis sensibus percipiebat, negaret se perturbari posse. Duabus quotidie, prius quam sacrificaret, horis pectus hospiti Deo & victimæ præparabat. Peracta re divina solenne habuit alteri sacrificio, ac pluribus nonnumquam interesse. Inerat auctoritas in dicente magna. Ore ipso pietatem afflabat intuentibus: acciditque aliquando ut iret agmen militare præter oppidum in quo degebat. Ille statim eminus inclamans, oravit ut consistèrent: consistunt. Verba facit ardore incredibili; & inexpectatos auditores, in quibus multi hæretici, cognoscendæ veritatis, & colendæ virtutis, cupiditate vehementer accensos dimisit. Post annos complures sacris ministeriis impensos, cum actuosæ vitæ laborem vires amplius non ferrent, nec satiari tamen amor salutis alienæ, quo ardebat, posset; enixè postulavit ut quidquid supererat senectutis otiosæ, uti vocabat, in docendis pueris ac ludo litterario consumeret, qua in occupatione senex emeritus rudem beatæ immortalitatis, ut confidimus, accepit in collegio Mauriacensi X. Calendas Januar.

LOVANIÏ meliorem in vitam duo è nostris emigrarunt, P. Florentius Bouchorstius, & Joannes Thenensis. Ille annum agebat ætatis LXIX. hic LXXI. Uterque magnos in virtute progressus fecerat. Bouchorstium tanti faciebat Justus Lipsius, ut ejus aspectu solo magnoperè ad virtutem excitari se fateretur, operamque cupidissimè daret verba facienti in majori Deiparæ sodalitia, cui Bouchorstius per annos XII. magna cum laude præfuit. Septem horas quotidie precando explebat, vel potius omnes; adeo in oratione totus erat. Quemadmodum tractare pia & utilia cogitando norat, sic loquendo. Sermones alios arcebat prudenter, restituebat pios, alebat restitutos ac ducebat arte peculiari.

Improbiorum erat hostis professus (si tamen hostis dici, qui amat, potest.) Itaque cum vir primarius, at vitæ religionisque solutioris, eum salutasset humaniter, addidissetque se illi esse valdè amicum & Patribus; At ego, subjecit Florentius, nequaquam tibi; ama te ipsum, mores muta, si nos amas. Abiit ille inopinato verbo vulneratus, & in præsentia nonnihil exandescens: vera tamen sibi sensit exprobrari; & mutatis moribus, se nosque melius amare didicit. Eadem libertate perditum hominem impias effutientem voces increpuit. Qui cum stricto mucrone dicendi libertatem ultum iret, stetit sacerdos immoto vultu, & oris interriti constantia furorèm fregit. Nihil unquam illi de obedientiæ studio & accuratione aut senilis ætas, aut parta virtute auctoritas detraxit: auxit etiam demissionem animi; ac diligentiam in procurandis pauperum commodis, quorum amebat consuetudinem, quorum nomina, rei familiaris angustias, tuguria, pernoſcebat. Pro concione cum diceret, à subtilibus, quæ popularem auram plausumque captant, disputationibus omninò abstinebat: sed plana tractabat & perspicua, quæ servirent entendandis moribus, & quibus affici prius ipse ac moveri sedulo studebat. Parum auditores vulgo movet qui parum movetur.

Joannes Thenensis, insigne simplicitatis, diligentiæ, mansuetudinis, exemplar existit. Custodem Angelum suum studio colebat singulari, ejusque patrociniò ritè implorato acceptum ferebat, quòd totis triginta, quibus nostros è somno susci-

IO.
Præparatio ad
sacrificium.

S. VIII.
P. FLORENTIUS
BOUCHORSTIUS;
ET JOANNES
THENENSIS.

II.
Amicus verus.

tavit, annis certum, tempore præstito, veluti monitorem senserit adesse; qui sibi aurem velleret: quamvis & ipse naturâ dormiret arctius, neque ullum, quo formidaret, suscitabulum usurparet. At nihil egregiam viri virtutem æque declaravit, atque admirabilis in gravi & diuturno morbo patientia. Cum enim vitiatos artus tetra & purulenta depascerent ulcera, cum vivæ carnis frustra immantia rescarentur, signum animi paulum commoti dedit nullum. Quin, Deipara coronam sedate volvens, Nunc demum, aiebat, sentio quam dulce sit pati. Rem admirans chirurgus, enixè precibus ejus se commendavit: cum diceret, qui hæc pati sic posset, nisi virum insigniter sanctum, prorsus esse neminem.

Eluxit eadem victrix morborum patientia in P. Venceslao Swihowskyo, Precatione & meditatione multum utebatur, qui patientiæ nervus est: neque illam adhibebat duntaxat ad patiendum fortiter, verum etiam ad agendum strenuè, cum per valetudinem licebat. Primam annorum viginti, quos vixit in Societate, partem tradendis philosophiæ ac theologiæ arcanis explicandisque dederat; postremam debellandis Hussitis.

Nomen traxit hæc natio hæreticorum à Joanne Hussò, rectore quondam academiæ Pragensis, qui sepultus Valdensem & Wiclef errores excitavit anno MCCCCVII. Invitatus ad Constantiense concilium venerat anno MCCCCXIV. Ibi, cum à sapientissimis Patribus convictus dedisset fidem se pristinos errores depositurum, sefellit. Quamobrem anno sequente condemnatus & exustus est. Ejus discipuli communionem sub utraque specie mordicus tenent. Immane dictu est quot cladibus infelicem Bohemiam attriverint, in qua feralis hydra suis animosior damnis, adhuc vivit. Hujus monstri plurima capita P. Venceslaus succidit. Principiam vincendi facultatem illi tria dabant: nobilitas generis, quod à Bohemiæ regibus ducebat; excellens eruditio; denique modestia liberalis & humanitas, qua dicendi ardorem temperabat. Iisdem armis multorum odia vivacia, & immortales inimicitias extinxit: cumque in oppidum paternæ ditionis anno MDCX. esset profectus, ut inter dissidentes gratiam componeret, instantem operi morbus oppressit, sexto Idus Januar. Apostolici viri nomen ob egregias dotes delatum illi fuit ab omnibus, ac præsertim à P. Alberto Chanowskyo, & ipso hujus regionis egregio cultore; quem aiunt solitum dicere, si optio sepulcri daretur, non alio se loco tumulari, quàm ad P. Venceslai pedes, velle.

P. Carolo Carlantino, Italo, multa divinitus monstrata perhibentur, ut ruentes in exitium animas interitu prohiberet. Progressus aliquando ad templi limen vidit nescio quem obstipo capite consistentem, & Quid hic stas, miser? Quid moliris? Sequere actutum, ait, & scelus consistere. Attonitum & resitantem prehendit manu, ducit in templum, audit consistentem. Inimicum pro templi foribus ille opperiebatur armatus, nemine concepti sceleris conscio. Quo magis percussus, & Patrem divinitus admonitum nihil dubitans, sceleratam deposuit mentem: & vitam paulo post religiosam amplexus, rem, uti narravimus, non semel renarravit. Medici nobilis geminam prolem morbus difficilis urgebat: parente artem suis inutilem dolente, quæ proderat alienis. Adfuit Carlantinus, bene adolescentulis precaturus: utrique melius factum, ac paulo post integra valetudo restituta. Enimvero id medicus non tacuit; Carlantino sospites debere se filios affirmans palam; neque duntaxat animorum, sed corporum etiam medicum præstantissimum prædicans. Non tulit hæc laudes Patris humilitas, nec sine stomacho indignum beneficio esse respondit, qui ejus ignoraret auctorem; nec amicum, qui se laudibus injustis immerentem oneraret. Exinde parcius mira ejusmodi aut patravit, aut patrefecit. Imò sibi morienti rogavit ut inculcicaretur unicè Dei misericordia, & illa Doctoris gentium vox: *Venit Christus Iesus peccatores salvos facere* *. Civitas Novocomensis quæ viri sanctimoniam & caritatem suspiciebat, diu ne cadaver terret mandaretur obstetit, videndi tangendique studio: nec nisi biduo post tumulatum est in ea templi parte, in qua totos triginta annos confessiones pœnitentium indefessus exceperat.

P. Thomam Sanchem non pietas minus, quàm doctrina commendavit. Orens Cordubæ anno MDL. cum propter hæsitantiam linguæ præclusum sibi videret ad-

S. IX.
PP. VENCESLAUS
SWIHOWSKIUS
ET CAROLUS
CARLANTINUS.

12.
Hussitarum au-
ctor, & secta.

13.
Laus ingrata
Confessarius as-
fiduus.

* 1. Tim. 1.

S. X.
P. THOMAS SAN-
CHES.

um in Societatem, ad aram Deiparæ, quæ Sancti Fontis nomine extra pomerium publica veneratione colitur, confugit; negans inde se, nisi solutâ & expeditâ linguâ, recessurum. Recessit voti compos. Paulum quiddam duntaxat relictum è pristino vitio, quod beneficii collati admoneret. Ac beneficium quidem ita deinceps grata memorique mente coluit, ut quoties veniret Cordubam, primùm omnium ædem Virginis iniret, ac proximum quemque diem in ejus sacello traduceret. His auspiciis Societatem complexus *, magnos animos, majorem conatum ad omnem vitæ religiosæ perfectionem attulit. Non multo post sacros Ordines susceptos, & absoluta studia severiora, Granatam evocatus, novitiorum curam gessit. Eo perfunctus munere, in eadem urbe constitit, publicæ rei ac saluti proximorum, studendo præsertim scribendoque inserviens. Primam tamen Apostolici moniti, *Attende tibi, & doctrinæ*, partem, altera potiore semper duxit; virtutis veræ custos rigidus & constans. Sensus tanta severitate coercebat, iis ut carere, vel potius, nisi ad aliquam acerbiter hauriendam, profusus uti non videretur. Aures clausas rumoribus, quibus tam multi vacuas implere mentes amant, semper habuit; nunquam quid occineret garrula, quid otiosa scriptitaret, quid fingeret maligna fama, quæsit. Prandio abstinens, cenabat leviter, olera sæpissimè aut bellaria: quod illi per tempus Dominici Adventus & Quadragesimam solenne fuit; aliis diebus ut plurimùm nihil ad panem & frigidam adhibebat. Ciborum condimenta, sale, oleum, & alia, quæ usus aut necessitas quædam invexit, omnino respuebat: iisque obsoniis cupidè vescèbatur, quæ minime ad suum stomachum facerent. Mitto cilicia & flagella, usitatas viris religiosi artes: mitto studium litterarum pertinax, in quo decem aut plures horas quotidie conterebat: ut mirum sit labori tanto tot annos parem illum esse potuisse.

Cum Hispania tota ejus eruditionem celebraret; cum libros ab eo conscriptos Pontifices Maximi multa laude prosequerentur; cum ab Orbe Christiano tanquam oraculum consuleretur; ipse nulla in re se audiebat, aut placebat sibi: ex aliorum sententia nutuque pendens, omnemque deprimendi sui ansam captans. Aliquando reprehensus ob culpam alienam sibi falsò impositam; excusavit se se, repentino quodam impetu innocentis animi: ceterum neglectam humilitatis exercendæ occasionem sic dessevit, ut tirocinii domum abierit, religiosæ virtutis, inquebat, elementa, quæ nondum didicerat, percepturus. Quoscumque domi forisve nancisceretur minus benevolos & parum assentientes sibi, eos observabat impensius: si quid autem à quoquam illatum sibi molestiæ injuriæve cognosceret, illi Superos omnes multa prece, pœnisque voluntariis in ejus gratiam susceptis, conciliare conabatur. Nullum omittebat locum aliis obsequendi, & ubique postremas ferendi: in quo mirari licebat quos flexus, quam abditos calles, virtus hominis ingeniosa rimaretur. Ab oratione lucem in obscuris scientiarum ambagibus, in ærumnis morbisque solatium; à sanctissimis verò JESU & MARIÆ nominibus telum adversus omnia pericula certissimum petebat. Impositis manibus, ac recitato evangelio, morbos difficiles non semel curasse fertur. Si qua in re deliquisset, si quid impetratum à Deo cuperet, Virginem sanctissimam interpretem, sequestram ac deprecatricem, ut matrem filius, ut patronam cliens, interponebat. Quinquies Deo quotidie coram Eucharistia supplicare consueverat; octies vero quintâ qualibet feria: cujus magnam partem in adorandi mysterii contemplatione & grata memoria collocabat. Ineunte mensè recognoscebat animæ suæ statum, & velut accepti expensisque tabulas relegebat. Ejus funus celebrarunt religiosi Ordines, senatus regius, Archiepiscopus: populus frequens concursu, lacrymis, laude multa, cohonestavit.

Nascentem vidit Societatem P. Petrus Ribadeneira, Toletanus. Cum puer operam litteris daret, floreretque inter suos æquales nobilitate generis & ingenii gloria, contigit ut Cardinalis Alexander Farnesius, ad Carolum V. à Paulo III. missus, Toletum accederet. Adolescentis eximia delectatus indole, Romam rediens eum sibi comitem adscivit. Ibi cum Ribadeneira præter Societatis domum iret, introgressus visendi studio, incidit in S. Ignatium: cujus sermone ac primo congressu mirificè captus, statuit ei se totum ac Societati, quæ nono post die confirmanda

* Anno 1567.

14.
Sensu austera
custodia: humi-
litas, &c.

S. XI.
P. PETRUS RI-
BADENEIRA.
A. C. 1611.
Soc. 72.

firmata per Summum Pontificem erat, dēdere: nec dubitavit Ignatius, divina collustratus luce, complecti juvenem & suis addere. Spem Beati Patris non fellit: ac perceptis summa celeritate philosophorum ac theologorum placitis, præcipuam ad dicendum indolem, cum pari ad agendum prudentia conjunctam ostendit. Quamobrem ad gravissima negotia gerenda primùm à S. Ignatio, deinde à Lainio & Borgia, successoribus Ignatii, adhibitus, collocandæ in Belgio Societati perutilem navavit operam; Tusciæ ac Siciliæ provincias gubernavit: eandem Siciliam, ac postea Insubriam, hanc Vistatoris, illam Commissarii appellatione ornatus, inspexit. Bis officio Assistentis functus, primùm Italiæ, deinde Hispaniæ: bis Generali Congregationi interfuit.

Ingruente senio, & urgentibus morbis, patriam revivere coactus, otium eruditum in scribendo utiliter occupavit. Primus omnium vitam S. Ignatii mandavit litteris, & res præclare gestas à duobus Præpositis Generalibus, qui sunt Ignatium proximè consecuti. Scriptorum Societatis indicem contexit: peculiari commentario illam defendit ab invidorum calumniis; demum tribus tomis complexus est Sæctorum vitas, non eorum modo qui in factis Ecclesiasticis perscripti leguntur, sed aliorum bene multorum, quorum laudes à vetustate & oblivione vindicavit. Historiam Hispanæ Societatis scribere parantem mors interceptit, anno ætatis octogesimo quinto X. Cal. Octob. Madriti.

Vir fuit antiquæ probitatis, dignus primis illis Societatis temporibus: ubi tot illustrium hominum profecit exemplis, & exempla ipse posteris reliquit imitanda, præsertim humilitatis, obedientiæ, pietatis. Infimum in Societate gradum, & perpetuum tradendæ pueris grammaticæ munus, à S. Ignatio enixè flagitavit. Vix adductus est ut sacerdotio initiaretur, quo se indignum ducebat. Rector nostris impositus, non modo erat *quasi unus ex ipsis**, sed quasi omnium postremus: non majores sumere spiritus, non infra se positos duriter aut contemptim appellare; non muneris honorem capere & onera defugere. Magnam vero iis habebat gratiam, qui admonerent ipsum errati, si quod inter scribendum, ut peritissimis etiam evenit, excidisset. Ad sacrificium celebrandum se comparabat meditanda Christi patientis historia, & pie attenteque recolendis precibus, quas sacerdotes recitare tunc solent. Vitam sancti cuiuspiam quotidie lectitabat, ac renarrabat in familiari congressu. Nunquam efferebat è cubiculo pedem, quin Deiparam salutarer angelicis vocibus. Reverfus in cubiculum expendebat num quid peccasset: ac veniam à Deo, Virginis Matris interposito nomine, orabat; si rectè res procefferat, gratias per eandem agebat. Effata quædam de virtute obedientiæ, à S. Ignatio paulo ante obitum dictata, circumferebat, exponebatque Sociis; hoc B. Patris testamentum appellans; neque factis illa seignius, quam verbis unicuique commendans*. Quantum esset ab utilitatis propriæ studio remotus egregiè declaravit, cum Cardinalis Quiroga collegium Societatis Alcasariæ ponere meditans, ei fundando mille ducatos annui census obtulit. Erat annonæ caritas summa. Cardinali auctor fuit ut pecuniam hanc ad sublevandam egestatem miseræ plebis conferret: Deo collegium & Societatem curæ fore. Jam, si *perfectus est vir qui in verbo non offendit*, teste Jacobo Apostolo*, videtur ea laus in P. Ribadenciram convenire: tantam in loquendo cautionem adhibebat; adeo sollicitus erat ne cuius famam vel levissimo verbo læderet, nè sermones ejus generis, qui nonnunquam in colloquia virorum etiam proborum irrepunt, aleret dissimulando, vel adulando produceret. Sane in ejus scriptis lucet natus quidam candor, & eloquens absque pigmentis & fūco simplicitas, aureo nota arvo, ignota ferè nostro: cujus hoc inter cetera vitium est, ut ii scriptores vigeant, qui vel ostendunt aliena vitia, vel virtutes tegunt; sermone juxta & silentio flagitiosi. Ut S. Ignatium diu ac penitus introspexerat Ribadencira, sic illum unicè mirari, ac venerari confueverat. Oratus à Patribus, qui morientis lectulum circumstant, ut consolari marentes, ac pia precatione prosequi ne gravaretur, digitum in effigiem S. Ignatii, quia vox defecerat, intendens, innuit postulandum ab eo quod quærebant. Incredibili vero voluptate affici se significavit, ac votorum compotem mori, siquidem Ignatium in cœlitum albo scriptum denique cerneret.

Quia

15.

Ejus humilitas
& pietas: ratio
gubernandi &
scribendi.

*Eccles. XXXII.

*Referuntur in
Parte II. Hist.
Lib. VII. n. 29.

*Epist. Jac. c. 3.

Quin peculiari Superum dono datus fuerit Societati P. Antonius Posssevinus dubitare nemo, qui norit hominem, potest. Italus erat, oriundus Mantua. In eo mirifica fuit ad virtutem, ad doctrinam, ad rerum maximarum gestionem, natura, ut abunde testantur quæ administravit negotia, libri quos scripsit, virtutes quarum reliquit non leviter impressa vestigia. Inerat, vel in puerulo, sciendi tanta studendique cupiditas, ut cum in lectum se inferret, pedem alligaret ad lecti fulcrum: ea mente ut, statim atque se commoveret, gustato leviter somno, exiliret è cubili, & litterarum studium repeteret. Qua consuetudine id assecutus est, ut somni parcissimus, magnam semper otii nocturni partem negotiis & orationi comitate modestia: quæ illi procerum benevolentiam conciliavit, & honorum spem ac fortunæ florentis attulit. Hunc familiæ suæ ut omnino devinceret Cardinalis Gonzaga, ornare beneficio Ecclesiastico studuerat. Eundem Otho Cardinalis Augustanus tradere Ferdinando Cæsari, cui esset ab epistolis, cogitabat: cum Deus ereptum perituris honoribus & curis, in Societatem Filii sui transcripsit anno MDLX. Romam ad tirocinium advolavit annos sex & viginti natus; cum lectissimorum juvenum manu, quos exempli tanti vis permoverat.

Nondum tirocinio finem imposuerat, cum in Pedemontium ad componenda quadam domestica negotia profectus, Ducem Sabaudia Emmanuelem Philibertum convénit; & impetratis ab humanissimo Principe, quæ ad privatam rem suam pertinebant, egit cum eo diligenter de publica religionis causa; & varias hæreseos quæ per ejus regionem serpebat in dies, comprimendæ vias aperuit. Ausus etiam partium hæreticarum antesignanos ad colloquium & ad certamen invitare, manus cum illis conferuit feliciter; ostenditque virtutem in summis viris nequaquam annos expectare. Anno MDLXI. arctius Deo per sacerdotium, ac Societati per vota religiosæ professionis adstrictus; ad easdem Alpinas valles rediit, & inchoatas dimicationes pari contentione ac fructu persecutus est. Cum verò intelligeret non alia re magis hæresim niti & vigere quàm inscitia & mendacio, dum veritatem aut ignorat sponte, aut adulterat; perfecit apud Sabaudia Ducem & Nuncium Apostolicum, ut quadraginta optimi concionatores undique collecti, & idoneis collocati locis, offusæ ab errore tenebras discuterent. Pastores animarum induxit ut elementa Fidei rudibus diligenter traderent; quæ pars sacerdotalis curæ jacebat, sive incuria parochorum, sive astu hæreticorum & malitiâ. Prævit ipse aliis exemplo, & capita doctrinæ catholicæ præcipua populo palam explicuit. Prætereâ vulgavit ubique catechismum Canisii: ac demum in compitis, foris, tabernis, & diversoriis, summam doctrinæ catholicæ, ac morum præcepta patentibus impressa chartis curavit affigenda, ut in oculos etiam otiosorum & aliud agentium veritas incurreret. Fuerat hæc pestifera Genevensium industria, ut infinitam vim librorum, hæreseos toxico madentium, non spargerent modo per Galliam, verum etiam Constantinopolim, & in Asiam usque deportarent. Huic malo medicinam ut pararet, non solum pios utilesque disseminavit libros; sed pestilentium farraginem impuram meritis ubique flammis abolevit. Quos vero igni damnare non potuit, illis, & eorum auctoribus, fidem abrogavit, recitatis in ipsa concione scriptis Calvini ejusque assecularum; & illorum erroribus, mala fide, captionibus, ac præstigiis, in apertum prolatis. Quo facto tantam improborum suscepit invidiam, ut excubandum sibi pro ejus capite Lugdunenses putaverint, quos in catholica veritate potissimum confirmare nitebatur. Sed intercepta paulo post à perduellibus civitate, impias manus ægre admodum effugit. Elapsus in Pedemontium, Cherii anno ferè toto consedit. Hanc urbem, in conspectu Augustæ Taurinorum, opere ac situ munitam, Hæresis tanquam erroris arcem sibi delegavit. Sedem ac propugnaculum veritatis Posssevinus effecit. Reversus inde Lugdunum est, reddita Regi civitate, ut cives, in iisque suos populares bene multos, adjuvaret. Quod egregiè præstitit, tum tractandis naviter doctrinæ catholicæ armis victricibus; tum vero duobus copiarum hæreticarum signiferis, indicta concertatione, palam & apertè profigatis: adeo ut illi atque Edmundo Augerio*, conservatæ religionis beneficium civitas Lugdunensis jure acceptum referat.

§. XII.
P. ANTONIUS
POSSEVINUS.

16.

Religionem catholicam ornat ac defendit in Sabaudia, Gallia, Suecia, & Moscovia.

* Lib. XXIV.
num. 3.

Eadem

Eadem veritatis arma non dissimili successu circumtulit per alias Galliae civitates, Rotomagum, Massiliam, Avenionem, & Vesontionem. Deppa, in Normannia, paucis mensibus amplius duo millia civium Calvino eripuit. Baione in Vasconia, dum Religionem tutatur, causam quoque Societatis eripuit. Baione in potissimum Parisiis vexata, apud Carolum IX. diligenter egit. Avenionensi postea collegio rector est datus, deinde Lugdunensi: postremo in Congregatione Generali, quae ad subrogandum S. Francisco Borgiae successorem convenerat, creatus est Societatis universae Secretarius. Hoc munus jam ferme à quinquennio administrabat, cum anno MDLXXVI. spes affulsit regni Sueciae ad Ecclesiae auctoritatem communionemque reducendi. Circumspicienti Gregorio XIII. quem tanti momenti negotio praeficeret, venit in mentem Possevinus, cujus prudentiam, eruditionem ac probitatem cognoverat. Missus in Sueciam anno MDLXXVIII. Regem eò perduxit, ut haeresi abjecta Romanam profiteretur Fidem; eique & Reginae Pontificias anno sequenti litteras detulit. Suaferat Gregorio, ad restituendam muniendamque in his partibus rem catholicam, ut Seminaria duo instituerentur, unum Olomutii, alterum Brunsbergae. Utroque ritè condito, religionem Volani haeretici pestifero volumine appetitam, periculo liberavit, ac Societatis stationem collocandam curavit Cracoviae. Rebus in Suecia compositis, quantum perturbatissima tempora ferebant, & relictis sacerdotibus aliquot Societatis ad benecepta promovenda; in primis autem P. Stanislao Varsevicio, ad Regis filium, Sigismundum, Poloniae postea Regem, in orthodoxa Fide instituendum; Romam, gravibus periculis incommodisque superatis, se receperat, rationem administrati negotii Gregorio Pontifici redditurus. Ab eo statim in Moscoviam properare jussus est. Quippe Joannes Basilides Moscoviae Dux, ut bellum Polonicum à suis cervicibus averteret, Pontificis opem imploraverat, ac spem Moscoviae ad professionem catholici ritus revocandae ostendebat. Possevinus Stephanum Poloniae Regem ad pacem cum Mosco faciendam, & arma in Ottomanum jungenda vehementer est cohortatus. Confecta pax iis conditionibus, quas maxime optaverat Moscus, à quo permulta in gratiam catholicorum sunt impetrata. Gregorius laudata Possivini in tractandis rebus prope perditis ac desperatis industria, eundem revolare in Poloniam, ac Germaniam jussit, & controversias inter Stephanum Regem, Caesarem, ac Regem Sueciae coartas componere: Seminaria variis in locis excitare: catholicas partes, ubi esset opus, aut nutantes erigere, aut constitutas firmare.

Restabat addendus tot laboribus gloriosis cumulus, ut ad reconciliandum Ecclesiae Henricum IV. Regem Christianissimum, & reponendam in ejus regnum Societatem Jesu, curas cum summis viris & consilia conferret.

Hoc duplici potitus voto retulit se, affecta jam aetate, ad litteratum otium, quod vel in maximis negotiis nunquam omnino intermiserat. Pars illi quietis & laxamenti semper fuerat excutere bibliothecas; doctos percontari, quae commentatus erat in ipsis itineribus (nam ab erudito labore vacua non erant) digerere, & litteris consignare. Exstant ejus triginta fere volumina, in quibus elucet ingenii vis eximia, mentis amplitudo, copia eruditionis, ornanda ac defendendae religionis ardor. Ea videre est in Bibliotheca scriptorum Societatis. Nec tantum prodesse moribus hominum scribendo studuit, qui honestissimus est litterarum finis; verum etiam ipsis litteris ac litteratis commodare. Id potissimum in duplici libro praestitit. Alterum inscripsit *Bibliothecam selectam*: in quo explicat rationem studendi, & faciem veluti praefert, quae caeca studentium vestigia regat. Ac primum de cultura ingenii universè disserit: deinde à studio theologiae, tum positivae, ut appellant, tum scholasticae, descendit ad methodum tradendae doctrinae Christianae: agendi curam, theis & haereticis, cum Judaeis, ethnicis, barbaris, &c. Mox rationem exponit, discendae Philosophiae, Jurisprudentiae, Medicinae, Mathematicae, Historiae, Poeseos, Rhetoricae, Picturae: nonnihil inserit de ratione conscribendarum epistolarum. Alteri libro nomen est *Apparatus sacer*. In eo de sacrae paginae auctoribus & interpretibus; de Patrum Graecorum ac Latinorum germanis, & adulterinis scriptis; de synodis, de theologorum, chronographorum & historicorum Ecclesiasticorum, Juris doctorum, operibus prudenter & accuratè disputat:

17.
Libri ab eo conscripti.

tat: ac librorum septem octove millia uno in conspectu ita ponit, ut singulorum synopsis & criticen exhibeat. Supremum diem explevit Ferrariæ IV. Calendas Martias, annum ætatis agens octavum & septuagesimum.

Sicut *stella differt à stella in claritate* *, sic in Ordinis religiosi quodam quasi cœlo aliis alii virtute, fama, celebritate præstant. Quod inter sidera tamen accidit, ut quæ videntur eminus obscura & minima, sint eadem interdum cominus maxima & clarissima; hoc ipsum inter sanctos reperire est, ut qui versantur in obscuritate quadam virtutis & vitæ, nihilo sæpe sint inferiores illis, qui sunt in oculis hominum ac luce. In hunc ordinem rejicere possis P. Eleutherium Pontanum; P. Hieronymum Turrianum; Alphonsum Barrerium; P. Balthasarem Pinnam, aliosque non paucos, qui lucere apud Superos eodem anno MDCXI. ut speramus, incœperunt.

P. Eleutherius Pontanus, Insulensis, quatuor & octoginta confecit annos: è quibus undecim in Societate vixit, adhibitus ut plurimum ad Socios regendos; quo munere prudenter ac sanctè semper est functus. Primus Bibonenfis in Sicilia collegii rector à S. Ignatio; deinde aliorum præses domiciliorum in Gallia, & Belgio, ab aliis Generalibus Præpositis creatus. Complurium quotidie horarum precationem assiduæ mortificationi junxerat, sapienter existimans Christianæ Crucis asperitatem quandam orationis ac pietatis oleo velut inungendam & mitigandam. Nihil de illius comitate siccitas & severitas innata senectuti detraxit: nihil negotiorum moles de sollicitudine quam gerebat suorum, præsertim agrorum, quos noctu solebat intervîsere. Hoc hauserat à S. Ignatio, quem religiosæ perfectionis magistrum habuerat. Neque segnius ab eodem didicerat obediendi studium. Itaque cum Romæ nonnulli è nostris convenirent à prandio certum in locum, ut quasdam voluntarias de se ipsis pœnas sumerent; invitatus ut se ad illum aggregaret cœtum; negavit, quòd incisiis moderatoribus id fieret. Ignatius, re cognita, publicè oburgandos inter cenam curavit: qui mos Societatis ductus inde fertur.

Ab eodem Beato Patre Pontanus audierat enitendum esse Societatis hominibus, ut honores, famam, magni nominis existimationem tanto fugerent studio, quanto eadem ista profani seculi amatores consecantur *. Ut ad hunc perfectionis religiosæ gradum perveniret, pulcrum sibi ducebat agere cum infimæ sortis hominibus: ea tractare munia, quæ laboris haberent plurimum & caritatis, splendoris & famæ minimum: puerulos & fecem plebis docere Fidei rudimenta; frequentem esse ac pœne totum in carceribus, ut vulgo vincitorum parochus vocitaretur: obire domi abjectissima ministeria; cumque per ætatem aliud non posset, janitoris partes explere. Hinc Ignatii discipulum agnoscas. Valuit etiam naturali quadam prudentia, sive potius hausta divinitus luce, ad juvandos energumenos ac fanaticos. Vafra mulier, se à malo possessam dæmone simulans, viros graves & doctos ludebat. Ab iis rogatus P. Eleutherius ut olfaceret si quid latèret doli, ossa vervecina sumit à lanio, bysso involvit; offert mulieri; nescio quid Homericæ carminis aut Pindarici rauca voce immurmurans. Illa fremere, distorquere os, concuti totis artibus; quòd sanctorum reliquias, inquebat, & sacra carmina ferre non posset. Sic detecta fraus, & castigata mulieris impudentia. Decessit Atrebatî, magna opinione sanctitatis: & ad S. Vedasti templum, ingenti concursu populi ac procerum elatus est.

P. Hieronymus Torres, Catalanus, conditorem Societatis pariter spectaverat: nec spectare ac mirari contentus, studuerat imitari. Quàm ad illum prope accesserit, ex eo intelligas, quòd nihil fecisse dicatur unquam legibus nostris vetitum; nihil ab iisdem imperatum omisisse.

In theologia tradenda (nam hoc illi diuturnum in Germania munus fuit) nihil habebat antiquius, quàm ut Fidei dogmata primum exponeret, deinde stabiliret, omnibusque veluti propugnaculis muniret; præteritis, aut leviter delibatis quæstionibus & argutiis nimix subtilitatis, exigux frugis: in quibus magna ingenii, magna vulgo temporis jactura fit. Cum autem cerneret ex Augustana, quam vocant, Confessione, tanquam è pestilenti fonte, spargi errorem latissimè

* 1. Cor. 15.

S. XIII.

PP. ELEUTHERIUS
PONTANUS, ET
HIERONYMUS
TURRIANUS.

18.

Obedientiæ studium: contemptus sui, &c.

* Reg. II. Sum. Conf.

19.

Ratio tradendæ theologiæ. Confessio Augustiniana.

per Germaniam; opposuit illi Confessionem Augustinianam. Hoc in libro locos theologicos, & capita præcipua doctrinæ catholicæ confirmat ductis ex ipso Augustino sententiis: eas vero, sicubi sunt obscuriores, illustrat, exigitque ad accuratissimam theologiam: quæ sunt ab hæreticis detortæ in alienum sensum, explicat; quæ sunt accisæ & mutilatæ, integras repræsentat: quæ depravatæ, emendat; quæ malignis adnotationibus adulteratæ, restituit. Exemplum istud secuti doctores catholici Confessiones alias edidere, Ambrosianam, Hieronymianam, Cyprianam. His voluminibus erepta sunt errorum architectis arma, quibus veritatis arcem oppugnabant. Iis enim si Patres, quibus perperam gloriantur & abutuntur, tollas, quid restat nisi pertinaciâ? Obiit P. Hieronymus Torres Monachii, grandis natu, exactis in Societate annis amplius sexaginta.

S. XIV.

P. JOANNES BUSEUS, ALFONSUS BARRERIO, ET P. BALTHASAR PINNA.

Multum quoque in profligandis novorum dogmatum erroribus operæ ac feliciter posuit P. Joannes Buseus, Noviomagensis. In Societatem adscitus anno MDLXIII. ut erat egregia indole, magnos in pietate ac literis progressus brevi habuit. Theologico spatium Romæ decurso, venit Moguntiam, ubi sacram scientiam, & quæstiones de conscientia & moribus per annos XX. docuit. Ut vero quæ privato studio commentatus erat manarent latius ad multorum utilitatem, limata & perpolita emisit in vulgus. Editi ab eo libri amplius quadraginta numerantur, quorum plurimi quantum valeant ad pietatem inflammandam consensus proborum ostendit. Conscriptum certe ab illo meditationum Enchiridion, in quinque sexve linguas conversum, hodieque in manibus est. Spirant illæ odorem suavissimum tenerrimæ pietatis, & Divini Spiritus unctione delibatur auctoris ingenium & mores tanquam in speculo exhibent. Ut enim in vita, sic in scriptis modestiam & comitatem adamabat. Ea dos potissimum elucet in theologicis, quæ contra recentium opinionum fabricatores elucubravit, monumentis. Ita illos ferit, sic ipsorum tela in eosdem retorquet; calumnias & maledicta sustinet ac diluit, ut amicam facile sentias manum, quæ non tam vulnerare adversarium, quam sanare studeat. Neque vero tantum proprio Marte multa scripsit; verum etiam erudita doctorum virorum & piorum opera complurium partim illustravit, partim è peregrino sermone in Latinum convertit. Hos inter labores, quamvis affecta & attrita valitudine, indefessus perstitit Moguntia usque ad annum ætatis LXIV. Societatis inita XLVIII.

20.

Quomodo cum hæreticis pugnandum.

De Alfonso Barrerio rerum domesticarum administro, Hispano, non est leve multarum & magnarum virtutum argumentum, quod prædicant præsertim in tanta officiorum varietate, in assiduo cum hominibus proletariis aut agrestibus commercio, neminem de ipso, neque ipsum de quoquam conquestum unquam esse. Christi cruciatus acerbissimos ut non tantum meditaretur, quod habebat antiquissimum, sed etiam experiundo cognosceret, spineam coronam capiti, humeris crucem imponebat; & captata noctis solitudine, ab imis scalis ad summas genibus nitens erepebat. Mendicorum turbam ad collegii Cordubensis, ubi mortem obiit, fores alebat corrogatis cibis. Horum unum in via morientem nactus in proximas deportavit ædes, ac tandiu dum suppeditavit misero vita, pavit: cadaver sepulcro inferendum, animam sacrificiis curavit adjuvandam. Alterum ulceribus & sanie scatentem humeris in nosocomium detulit. Cum prædii domestici gereret curam, audivit nescio quem morbo confectum jacere in vicinia. Expedit statim quod instabat negotii; jumentum sternit; illi semianimem imponit, & in urbem, noctu, itinere difficili deducit; ac subito in prædium nemine, ut putabat, conscio se recipit. Alterius cujusdam corpori consulere usquequaque si non potuit, animæ certè consuluit. In eodem versabatur prædio: allabitur ad aures tristis gemitus. Accurrit: offendit juvenem vulneribus confossum, & sacerdotis auxilium implorantem. Aberat iter unius admodum horæ cenobium Hieronymitarum; sed ardua via, Alfonsus obeso & gravi corpore: æger animam agebat. Quid caritati arduum est? Dat se in viam; adducit sacerdotem; juvenis expiatur, ac paulo post in ejus complexu pie moritur. Haud segnius dissidentes ad concordiam revocabat, deterrebat à vitiiis facinorosos; omnia prodesse laborabat. Tantum est in homine uno insigniter probo, ad multa benè gerenda prædium! Easdem

Easdem illustrius exercuit cum barbaris in Peruâ virtutes P. Balthasar Pinna, Aragonensis, per annos amplius triginta: prudens in agendo, in dicendo efficax; in tractandis hominum mentibus solers; felix in administrandis negotiis; eloquens in divino verbo pro concione proponendo; erga Deum impensè pius, & orationi deditus; erga homines humanus & facilis, sibi durus & inimicus uni; ad laborem, quicumque pro salute animorum adeundus esset, impiger, in eoque constans & indefessus. Eas dotes egregiè adhibuit in Placentino Hispaniæ collegio, in primo Societatis Siciliensi domicilio; in collegiis Americanis Quitensi & Chilensi fundandis & constituendis. Diu collegio Limano, in quo vivere desit; diu toti provinciæ præpositus, externis juxta & nostris satisfecit. Quædam de illius sanctitate atque præcipua inter cœlites gloria, non obscuris auctoribus prodita sunt: eaque facile persuadet excellens viri virtus, & vitæ nitore, quem nullius gravioris noxæ macula inquinatum fuisse testatus est qui supremam morientis confessionem excepit. Annos expleverat quatuor & octoginta; sexaginta duos in Societate vixerat.

P. Bernardum Colnagum Catana Angelum, Doctorem Neapolis, Italia Prophetam & Apostolum vocavit. Illum natura, quæ gratiæ præire ac subservire solet, egregia indole, & ingenio præstanti ornaverat; sic, ut annos vix tredecim egressus abdita philosophiæ subiret penetrabilia, in rhetorum spatiis amœnioribus liberè decurreret, essentque in manibus hominum lucubrationes ejus, tum vincitâ numeris oratione conscriptæ, tum solutâ. Societatem ingressus, non ita multo post absolutum Messanæ tirocinium, philosophiam annis decem docuit, ac theologiam duodecim, utramque magna sagacis & eruditæ mentis commendatione: ob quam cum ejus dictata colligerentur avidè, ac passim expeterentur, jussus est ab Societatis Præposito ea in vulgus edere. Sed Bernardum ad scientiam sanctorum & excellentiorem, quàm quæ traditur in scholis, theologiam divina consilia vocabant, & quidem viâ non vulgari nec tritâ.

Numini capiendò nullus aptior est, quàm qui se ipso est vacuus. Exuat hominem quodammodo necesse est, qui Deum induere cupit. Eam ob rem quos ad altiore sanctitatis gradum provehere statuit Divinus Spiritus, eos abducit quam longissimè ab amore rerum infimarum, præsertim honoris & gloriæ: cujus cupiditas ut altius inhaeret humanis mentibus, ita difficilius extirpatur. Fluebat anus MDLXXXIX. Sacros theologorum nodos explicabat Neapoli ab annis decem P. Colnagus, singulari doctrinæ fama; cum cœlestia meditantem hæc repente invasit cogitatio: iret protinus, centonem indueret, ac motibus inconditis, instar fatui urbem concursaret, omnium cachinnis excipiendus. Dirigit ad ejusmodi cogitationem, & eam excutere, tanquam à Societatis moribus, à sapientia & pietate alienam, diu studuit. Quis enim ab homine, qui mentis parum sana esse creditur, percipi fructus ad salutem animarum possit? quis dementiæ opinionem semel susceptam penitus deposuit? Subibat etiam illud, inuri maculam toti Societati; præberi ansam justæ offensionis populo; exitium creari plurimis civibus, quorum studia, mores, & conscientiam regebat. Nihilominus instabat divinus amor; Christi exemplum; Numinis voluntas; sui despiciendi, quo flagrabat, desiderium. Hæc omnia illi tam acres diu noctuque subdebant stimulos, nullam ut capere quietis partem posset; pugnantibusque hinc atque inde sententiis distraheretur. Hanc immanem carnificinam ipsos triginta dies sustinuit: cujus cum exitum inveniret planè nullum, decrevit rectori collegii, ut voluntatis divinæ certissimo interpreti, rem aperire: nihil dubitans quin hæc deliræ mentis somnia homo consideratus & prudens exploderet. Is P. Petrus Antonius Spinellus erat, vir apprimè sapiens, & in divinis rebus exercitatissimus; qui eas non populari & pervulgata trutinâ examinabat. Venit ad eum Colnagus; animi fluctuantis astum exponit; ipse se deridet, cui hæc tam absurda incidant in mentem. Imo, inquit, Spinellus, valde hæc mihi placent; quodque suadet Christus, auctore me quamprimum facies. Ad hæc vocem pene exanimatus concidit. Recepto spiritu, surgit alacer: pannosum ac detritum sagulum humeris, pileum annis & adipe oblitum, nec uno peritum loco, capiti imponit; tunc sordido latera præcingit, addit alia fatuorum

§. XV.

P. BERNARDUS
COLNAGUS.

21.

Vocatur ad vitam Apostolicam peculiari modo.

ornamenta non parè. Sic instructus prorumpit in vicum; dat motus incompósitos, & ridicula mentis perturbata signa. Concurrunt pueri, & pars fannis, pars luto saxisque prosequuntur. At populus mirari primo: deinde, ubi hominem agnovere, miserari: quidam artinere comiter, ut mente captum, & ad Professorum, aedes perducere. Hic vero Patres rei totius ignaros incescit ingens pudor dolore ac miseratione mistus. Seducunt in abditum conclave, detractisque centonibus balbutientem, ac loquentem amputata & infracta, noctu in collegium reducere. Accepit lætus rector victorem, & sapiente stultitia de prudentia carnis triumphantem est amplexus. Non defuerunt è nostris qui consilium improbarent: alii cum Spinello censuerunt non modo fas, verum etiam pium pulcrumque esse famam exponere hominum ludibrio, cum Dei tacita vel aperta vox impellit. Hoc ipsum sanctorum exemplis, atque adeo ipsius Christi, confirmabant, qui constanti ac triumphali, ut nonnemo Sanctorum Patrum appellat, usus silentio, quin hominibus parum sanus & prudens haberetur minimè recusavit.

22.
Concionandi
munus suscipit.
Oratoris sacri
partes.

Certe ab eo tempore P. Bernardus Colnagus mutari visus est in virum alium: mens collustrari cœpta majorem in modum cœlesti luce; pectus insolita suavitate perfundi: Deum denique duntaxat ac divina gustare, loqui, tractare didicit ac mirificè docuit. Vix ab ara, cum sacrificaret, avelli poterat; dicebat pro concione ardore incredibili, nec dispari audientium utilitate. Deum in eo loquentem sentires, & animos arcana vi permoventem. Quod ubi est à Societatis præpositis intellectum, suscepit, illis auctoribus, concionandi munus, in eoque conuenit. Accessit imperium Deiparæ, à qua se affirmavit admonitum fuisse ut in emendandos hominum mores, quæ privatis sermonibus, quæ publicis, incumberet. Præstitit cumulate quod imperatum fuerat: Catanam, Messanam, Panormum aliasque Sicilia civitates: tum Venetias, Anconam, Lucam, Brixiam, Mantuam, Genuam, Neapolim; Romam denique ipsam, non tam sui nominis famam, quam divini amore ac timore implevit. Tanti fiebant ad eum audiendum concursus, ut apponendi sæpe illi fuerint stipatores & milites, cum prodiret ad dicendum, ne confluyente turba opprimeretur: nulla templa multitudinem capiebant; nec semel in aperta planitie perorandum fuit.

Duas in oratore dotes Philosophus requirit, probitatem & eloquentiam: probitatem quidem, quia cum dicendi facultas maxime versari debeat in efficienda voluntate, nec voluntas ulla re validius, quam probitatis opinione moveatur, maximum in viri probi auctoritate pondus inest; quo ad assentiendum rapitur quamlibet reluctans auditor, & vinci gaudet. Nec abesse debet facundia, quæ mentem, oculos, aures, aliosque voluntatis quasi administratos conciliet. Habet orator ab eloquentia ut videat quid utile sit auditori, quid accommodatum ad movendam ejus voluntatem; à probitate habet ut illud ipsi suadere velit, ac putetur velle. Huc adde quoddam insignis probitas magnam Numini veluti loquentis significationem facit. Utrâque dote Colnagus præstabat. Oratio sine lenociniis & furo, plena nervorum & sententiarum, ardentissimis affectibus, & ex ipsa renatis, concitata ferebatur. Accedebat probitatis opinio ingens, nec falsa. Seraphinus, Apostolus, alter Paulus, passim audiebatur. Vel solus viri aspectus etiam illos, quorum ad aures allabi vox dicentis non poterat, commovebat: profligatissimi quique orationis fulminibus obruti concidebant; & arreptam semel virtutem ad extremum usque spiritum retinebant. Id insigniter elucebat in perditis mulierculis, quarum viginti quinque paucis diebus in una quadam urbe, ubi alias innumerabiles, à meretricio quæstu ad pudicitiam revocavit. Ab ejus concione, sæpe abrupta propter pios suspirantium ejulatus, stens multitudo ac silens domum; multi religiosa in claustra, plures ad pœnitentiæ tribunalia se recipiebant. Neque clam ac dissimulanter, sed luce & palam fiebant istæ prodigiosæ morum mutationes; passimque prædicabatur hunc, illum, plures alios à vita libidinosa traductos esse ad sanctiorem. Fidem addebant ejus verbis signa cœlestia. Caput insolita luce circumfusum apparebat: conspiciebantur cœlites ad stare concionanti, & quasi dicenda suggerere. Investus in flagitiosos aliquando, ardentes in cœlum oculos repente sustulit, ac minaces, quibus saltem terrerentur ac resipiscerent,

placerent, flammæ & fulmina poposcit. Continuo quasi vocatæ concurrunt nubes, micant fulgura, tonitrua mugiunt, nemo ut non dirigerit; ac profluens in medium femina, pernicies & barathrum juventutis, cui tragœdia potissimum ista parabatur, veniam à civibus petierit; crinesque, tot pridem animarum laqueos, ipsa sibi in oculis omnium secuerit.

Non segnior in familiaribus colloquiis, aut minus felix habebatur. Parum quippe est oratori sacro tonare de loco superiori, ac vim omnem facundia cœlestis expromere, si langueat domi ac frigeat. Non decet divina mysteria explicare publicis oraculis, & profanas humanarum rerum nugas tractare privatis sermonibus: Deum quendam in templo videri; hominem, aut etiam homine inferiorem, in communi vitæ consuetudine. Neque vero cessare unquam licet homini Apostolico; nunquam ab animabus Dei amore, & peccati odio inflammandis vacare. Cum paulisper conciones interquiescebant, obibat cœnobita Colnagus, & nutantem disciplinam firmabat: regebat pias sodalitates & instruebat: blande illabebatur in cœtus hominum luxui ac deliciis indulgentium, ut eos cœlestium bonorum cupiditate succenderet. Viget adhuc illorum memoria, quos piis ejusmodi colloquiis ad summum perfectæ virtutis gradum provexit: quorum egregia multorum facinora litteris consignata celebrabit posteritas, & imitabitur.

Qui tantum ad sanandas juvandasque animas valebat, mirum quantum in corporibus pariter curandis posset. Publicis testatum tabulis est, ab illo amplius centum cæcis, claudis, & vario morborum genere laborantibus, gressum, oculos, valetudinem fuisse restitutam. Virgo Deo sacra, ex Ordine S. Dominici, manum à multis annis aridam & contractam gerens Anconæ, illius nescientis dexterâ leviter tactâ, manum sanatam illico recepit. Feminam diuturna paralyti constriptom, manu prehensam erexit. Frustrulum ex ejus pallio decisum, & in os insertum, mutæ vocem reddidit. Sudarium lethargico impositum discussit exitialem veterem, quo adolescens quadraginta jam dies oppressus jacebat. Puerum pedibus à septem annis captum ac male pumilum miseratus, invocata Sancti Antonii Patavini ope, cujus cultor eximius, itidem ut S. Francisci Paulani, erat, jussit ingredi. Non solum recto ac libero pede ingressus est deformis antea loripes, sed iusta corporis incrementa paulatim cepit. Panormi, cum ad aram sacrificaturus procederet, vidua ipsum interpellavit, obsecrans ut Deum deprecaretur pro gemina prole paralytica & oculis orbata. Promisit. Reversa domum à sacro filias gemino liberatas infortunio lata vidit. Puerum conspicatus ætati, viribus, nobilitati plus æquo fidentem, brevi moriturum prædixit. Unum è nostris contra, depositum à medicis, & post sex horas vitâ spoliandum, ut affirmatè pronunciabant, negavit eo morbo periturum. Æger non ita multo post convaluit, Vehabatur mari Siculo; naviculam remiges, resante vento, magna contentione subigebant. Postquam remisit ventus, confedere defatigati. Colnagus vini cyathum ab amico exorat, quem nautis sitientibus cum divideret, ita crevit felix liquor, ut omnibus largè ac liberaliter potantibus suffecerit.

Neapoli discessurus, jamque insidens equo ad collegii fores, amicos confluentes salutabat, cum mæsta mater mortuum filiolum multo cum fletu ipsi porrigit: obtestatur ut vitam reddat mortuo puero, & eandem matri luctu morituræ fervet; simul puellum ad equi pedes deponit. Hæsit aliquandiu Colnagus; & ad orandum pro more conversus, ubi se auditum sensit, equo in aliam detorto partem, fugit. Repulsam interpretata mulier & ingemiscens, obvolutum, ut jacebat, fasciis filium attollit ab humo: vivum sanumque reperit. At Panormi, ipso in limine domus Probationis, infantem inter materna brachia extinctum, non rogatus vitæ restituit. Catana in sacram ædem progressus, ut ad aram S. Antonii Patavini preces funderet, animadvertit in sacello ejusdem templi cadaver jam jam terræ mandandum. Accessit, & obesi procerique corporis molem, quam multæ manus vix movere potuissent, dextrâ sublevans perfacile in pedes erigit, spectante ac mirante populo. Diu multumque cum homine demissa voce collocutus, illum molliter in feretro composuit. Percrebuit fama, redditum luci fuisse Colnagi precibus tantisper dum conscientia labes nondum expiata abstergeret.

Hoc

23.

Ægros sanat, fuscitat mortuos, &c.

24.
Ejus virtus probata rebus adversis clarius enitescit.

Hoc in gubernanda navi diligenter nautæ servant, ut carinam ingesta saburra graveat; alioqui ventis undisque ludibrio futuram. Virtus præsertim illustrior, & communem egressa modum, popularibus auris abrepta naufragium sæpe facit; nisi rebus adversis, tanquam saburra, firmetur. Neque vero patiendi laus minor est, quam agendi: imo fortior & tutior. Illam optanti Colnago Deus benigne obtulit. Periculosam in vulgus doctrinam spargere infimulatus est: voces ab invidis excepta ex ejus concionibus, & in pejorem sensum detorta: in quibus explicandis, ac placanda invidia, haud semel laboravit. Negotii plus & molestiæ domitem via; sæpe abductum à sensibus inter orandum; res eventuras fidenter & liquidò prænunciantem. Timuerunt ne quid subesset fraudis, neve altius attolleretur, provehente ac blandiente fama, ut casu graviore postea rueret: observandum attentius, coercendum, & in gyrum religiosæ severitatis quasi ducendum putaverunt. Igitur, periclitandi causa, graviter & serio illum privatim, deinde publice objurgarunt. Si domum impransus & incenatus, dum immemor cibi totus est in animarum salute procuranda, paulò tardius se referret, poenas dabit: si defixus in rerum divinarum contemplatione signum constitutis horis dari solitum non audiret, plestebatur: contemnere domesticas leges, vivere arbitrato suo, & impetu cæco rapi, quò temeraria suaderet levitas, dicebatur. Fuerunt etiam qui à malo possessum dæmone, vinculisque constringendum existimarent.

Ferebat hæc omnia Dei famulus animo non solum æquissimo, sed etiam lætissimo: rectè ac prudenter facere Societatis præsidens dicitans: præclarè secum agi, qui longe graviores poenas delictis suis commeruisset. Ceterum nihil à se contra leges nostras sciente ac volente peccari sibi conscius erat. Quid quod hanc ei veniam Claudius Aquaviva dederat, ut quoties major Dei gloria postulare videretur, legibus se domesticis ipse solveret: quam potestatem cum dissimularet humilitatis studio; aut, si forte aperiebat, ejus terminos egressus putaretur; multa in eum duriter & acerbè multi statuebant. Acciditque ut P. Joan. Baptista Carminata, provinciæ Siculæ præpositus, querelis ad se undique perlatis fessus, finem iis imponere decreverit, & ad extrema omnia descendere. Itaque, consilio cum suis habito, ex iisdem unum statim ad P. Bernardum allegavit, qui mandata ipsi haud mollia perferret. Hunc ubi primum Pater aspexit, occurrit ultro; & illi omnia quæ in arcano isto paucorum Patrum confesso dicta, examinata, deliberata, fuerant, quæ nisi Deo docente cognoscere nullo pacto potuerat, explicuit. Obstupuit alter; & provinciæ præses, cognita re, divinum quiddam inesse homini non temere suspicans, illi molestiam exhibere desit.

Nihilominus ut periculo, si quod esset, subduceretur, è Sicilia, ubi summa erat ejus virtutis opinio, evocatus Romam est; & ab hominum quasi conspectu & luce, in eruditas collegii Romani latebras conjectus*: ubi librorum censoris munere fungeretur. Sed quis *lucernam abscondat sub modio**, quam domui suæ lucere Deus velit? Sacerdos, qui sacras in æde S. Joannis Lateranensis conciones habebat, in morbum incidit. Ventum in collegium est; petitus quispiam è nostris, qui ejus impletet locum. Erant angustia temporis summa: nemo, ut in religiosa & litterata domo, non propria quadam occupatione ac laboriosa districtus. Itur ad Patrem Colnagum, solitum nempe dicere ex tempore, atque in hæc palastra diu exercitatum. Dixit, urbemque prima concione, plausu & admiratione concussit. Laxata sunt, in ejus gratiam, temporis ad dicendum præstituti ceteris concionatoribus spatia: unum hoc timebant auditores, ne desineret. Divinus ardor qui perorantis in vultu exstabat, illæ verborum faces quibus audientium pectora inflammabat, opinionem fecerunt eximia virtutis: aluerunt eandem solita prodigia: suspici cœptus est à Purpuratis Patribus, & à præsulibus Romanæ curiæ amplissimis. Inter quos antistes Cremonensis Joannes Baptista Brivius cum ejus expetivisset preces pro parente suo, quem graviter Mediolani agrotare acceperat, Colnagus in vicinum conclave se recepit precandi causa. Ibi observatus est semel iterumque exclamare *surge & ambula*. Inde præfulem anxium revivens, Omitte metum, ait; vivit & valet. Cognovit Brivius è suorum postea litteris, eodem

* Anno 1605.
* Matth. 5.

dem ipso temporis puncto parentem suum morbo levatum fuisse. Iter habebat cum eodem antistite Cremonensi Bernardus in Tusculanum. Repente oculos in cœlum defigere, inardescere toto vultu, sensibus alienari, conspectus est. Præsul, & qui cum eo vehebantur duo viri nobiles, etsi Patrem angi, aestuare, sudore distare cernerent; obturbare nihilominus antea non sunt ausi, quàm Tusculi constitissent. Tum vero se detectum sensit Colnagus, ac vehementer indoluit, quasi Dei dona celavisset negligentius; mox in hortum sibi iratus perrexit; ubi coronam texuit è sentibus, capitique indidit, quod brevi torum cruore fluxit. Ex eodem præfule cognitum est accessisse aliquando ad P. Colnagum civem Romanum, opibus & genere pollentem, at prole destitutum. Voti compotem fore promisit Pater: tempus etiam, quo nasceretur puer, definivit. Cesserat è vita Bernardi soror Catanæ. Adfuit aliquando post cum literis nuncius: qui priusquam verbum ulum faceret, Scio quid feras, inquit; narras mortuam sororem. Bene habet; in cœlo est. Lauretum ad sacram Deiparæ domum visendam Roma profectus incidit in hominem, cui excussus sede sua oculus fœde prominebat: oculum tangit, reponit in locum, & sanat. Jamdudum illi erat in votis sacra Palæstina locavifere. Ita Christi crucifixi amor intimis hærens medullis suadebat: & facultatem opatissimam à Societatis Præposito consecutus, accingebat se ad professionem; cum Paulus V. omittere iter, & gravibus, quæ pro publica re Christiana instabant, negotiis animum jussit intendere. Iis è sententia confectis, decrevit Pontifex hominem tam bene de tota Ecclesia meritum sacra vestire purpura, idque ipsimet indicavit. Exanimatus nuncio Colnagus procidit ad pedes Pontificis, tantoque ardore simul ac dolore est locutus, ut Pontifex consilium deposuerit.

Solutus eo metu ad mortem, cujus diem & locum cœlesti monitu didicerat, se comparavit. Annum igitur MDCXI. ingressus, qui erat illi sextus à sexagesimo, postulatur à Panormitanis ad sacras per Quadragesimam conciones habendas: sed vix appulsus in Siciliam, tentatur paralyti, Catanamque curandus deportatur. Paulum relevatus verba fecit aliquoties ad populum, eumque de imminente obitu admonuit non semel; & concionem, quæ sibi ultima erat futura, declaravit. Ad dictam diem in templum effudit se se innumerabilis hominum multitudo. Vix dicere aggressus erat, cum repentinus humor, è capite in fauces delapsus, vocem includit. Conatus ægrè persequi, denique in suggestum prono capite semianimis incubuit. Fit clamor & gemitus. Assurgit tota concio: deferunt in aedes nostras; ubi receptis parumper viribus, Divini amoris æstu vim morbi superante, per duas ferme horas de beata immortalitate ad circumstantem & illacrymantem turbam dixit: donec inundante rursus humore obrutus conticuit. Quinque dies jacuit omni pæne sensu captus; nisi quod oris hilaritas suspicionem præbebat alienatæ à sensibus mentis, & dulci contemplationis somno sepultæ. Feriâ sextâ, quæ incidebat in diem undecimum Cal. Maias, quo se cum Christo moriente moriturum prædixerat, velut è gravi sopore suscitatus ad se se rediit: & pie gestiens ad sanctorum nomina, quos circumfusa Patrum corona invocabat, ubi appellatum est Divæ Agathæ, quam semper studiosissimè coluerat, nomen, oculos in cœlum erigens exspiravit. Corpus triduo toto propositum populo concurrenti patuit: cum vero nulli satis illud clathri defenderent, inclusum est, hortante magistratu, plumbeo loculo, & sub ipsis gradibus aræ Christo Crucifixo dedicatæ sepultum.

Famam sanctitatis quam vivens collegerat, auxere consecuta mortem prodigia. Eadem nocte, quæ vivis illum exemit, vocem & sanitatem Paulo Mottæ, quam ipsi nervis obstructis repentina vis morbi abstulerat, reddidit. Plurimis spectandum se præbuit cœlesti fulgentem luce. Laudomia Gravina, Catanensis marrona, diurnæ febris incendium, ejus indusio humeris injecto, statim extinxit. Alius Catanensis item civis, ipsos decem annos immani renum dolore confixus, videre illum in somnis & audire visus est jubentem bene sperare. Non irritam spem fugarus in perpetuum dolor ostendit. Prospero Siragofæ, medico non ignobili, filiolus erat plane mutus, & lepris turpiter coopertus. Lepras Bernardus vivens absterferat salutari manu, cum oblatus illi forte à famula infans fuisset: vitium linguæ;

25.
Pis moritur.
Miracula mortem consecuta.

guæ, de quò filuerat ancilla, remanserat. Pueri mater, mortuo Bernardo, per confertam populi turbam, cum efferretur, penetravit ad feretrum, detractumque sibi annulum demortui labris affricuit: hunc deinde lambendum dedit filio, qui statim exclamare, ac postea loqui, cœpit. Parta non uno in loco moribundis salus: laterum, capitis, dentium, viscerum, dolores sublari: abacta cum phrenesi febris, cum podagra comitialis morbus: ejecti corporibus obsessis dæmones: coacta mors prædam sæpe jam devoratam reddere. Sexcenta ejusmodi alia referuntur, exstantque litteris consignata, mandata publicis tabulis, ritè atque ordine examinata, instituta per antistites cum bona Summi Pontificis venia quæstionibus, ut debitus probatæ tot argumentis sanctitati honor aliquando, si annuat Roma, decernatur.

26.
Eximie P. Colnagi virtutes.
Religio, Amor Christi & Crucis, &c.

* Psal. 44.

Rectè illi tamen sentiunt, qui facinora præter naturæ leges à viris sanctis edita, virtutis illorum umbram & quasi vestigium appellant. Majus quiddam bonum ac divinius est, unde ista manant, sed reconditum. Vera sanctorum gloria, ut loquitur Vates Regius, *ab intus est* *. Inde operum, quæ foras prodeunt, tanquam ab radice, vis, decus, & meritum. Porro hujusmodi interiorisque pietatis duæ sunt quasi partes; una quæ Deum, altera quæ sanctos ipsos spectat: hæc patientiam, humilitatem, sanctum sui odium; illa religionem, caritatem, orandi studium, fiduciam impetrandi, complectitur. Magnus in hac utraque parte Colnagus fuit. Flagrabat incredibili desiderio Fidei propagandæ, & sanguinis inter barbaros pro religione fundendi: cumque per Societatis moderatores ea potestas ipsi non fieret, suis ipse pascebat se votis, & ea solabatur subrogandis in suum quasi locum heroibus, qui se præclaris laboribus & gloriose neci devoverent. Itaque, cum Cardinalis Montaltus ipsi quatuor millia aureorum annui proventus obtulisset, in pium opus, quodcumque libuisset, impendenda; persuasit ut eam pecuniæ summam Patribus Carmelitanis excalceatis largiretur, ad sacras expeditiones, quas in Perside vicinisque locis suscipiunt, promovendas: quo subsidio etiam nunc utuntur ad salutem animarum.

Prosequebatur veneratione singulari quicquid ad religionem pertinebat, in eo scilicet spectans Dei majestatem infinitam, quæ vel levissimis rebus immensum pondus addit. Ipsa vero sacrosancta mysteria, quibus immortale Numen se totum impertit mortalibus, non nisi sacro perfusus horrore frequentabat. Ante sacrificium quantulascumque animi labes sacramento eluebat, ac voluntariis pœnis: tum cubiculo inclusus instabat orationi, & ignem divinum, quo cœlestis hostia consumi gaudet, suscitabat: nox ipsa, & antelucanum tempus, huic preparationi serviebant. Nihil mirum si cœlestibus deliciis in ipso sacrificio, lacrymsque distilleret: mirum potius videatur ni panis angelici gustu careant, qui sicci, desides, imparati, à nugis rerum humanarum tractandis ad aram prosiliunt. Etsi porro consuetum sacrificandi tempus protraheret vulgo ad horam integram, sæpe duas, interdum plures; multi nihilominus cupidè intererant ac sine tædio: tanta erat sacrificantis pietas, cujus suavitatem audientibus aspergebat! cumque in sacello domestico rem divinam identidem faceret, impetraverant à collegii rectore viri nobiles ut admitterentur, & facientis aspectu languentes animos excitarent: itaque perfusi lacrymis non pauci abscedebant. Prima illi & summa erat cura celebrandi sacrificii: ejusque opportunitas si veniret in dubium, non secus angebatur, ac si salus sua & caput periclitaretur: gnarus videlicet quanta boni vis in cœlesti lateat hostia, cujus nimirum ope quicquid Numini debet natura mortalis, cumulatè solvit; quicquid orare potest, facilius exorat. Accidit aliquando ut ad aram operaturo deesset omnis sacrificii apparatus, in obserato nempe conclavi abditus. Provolvitur in genua, & postquam Deo enixè supplicasset, ad januam sacrarii pergens, *Aperire*, inquit. Ea vox clavis obtinuit vicem, ostiumque patuit. Quantum temporis orationi tribueret æstimari difficile potest; quippe qui nullo non loco ac tempore oraret. Preces, quæ voce recitantur, nixu genibus obibat singulari attentione. Mentem ut plurimum contemplationis æstus à communionem corporis & consortio, corpus ipsum à terra sublime rapiebat. Septem horas in diversorio sic aliquando jacuit, motus omnis ac sensus expers. Hol-

pite

pite de sepultura jam deliberante, in pedes erectus subito constitit; oppressum se altiore somno fuisse dicitans. Materiam precandi uberem subministrabant Dei nomina, & infinitæ dotes; Christi vitæ mortisque mysteria; commoda proximorum vel incommoda; hæc ut averteret, illa ut procuraret: sanctorum res præclarè gestæ ac virtutes; has ut imitaretur, illas ut laudaret. Nunc orbis varias partes, & Ecclesiæ diversos ordines animo percurrebat, quæ cuique opus erant à Superis exposcens. Nunc in se descendens, Deo se scribebat regendum, sanandum, perficiendum: modo singulas diei actiones coram summo iudice componebat: modo sibi gradum è rebus creatis, quæcumque occurrebant, ad creatorem, cognoscendum amandumque faciebat. Tanta porro inerat impetrandi quicquid orando postularet, fiducia, nihil ut non obtinere se speraret posse, nihil non obtineret. Quod si difficiliorem veluti sentiret Dei clementiam, hanc miris artibus, ac pia quadam violentia expugnabat. Eadem opis divinæ fiducia ingentes illi addebat animos: adeo ut nulla reformidaret pericula, nullos labores extimesceret, nullis ærumnis frangeretur: à Tartari satellitibus sæpe crudelem in modum acceptus, raptatus, vulneratus, nunquam à bello ipsis fortiter inferendo potuit avocari. Patiendi cupidus, & imitandi Christi, cum hebdomadæ sanctioris dies agerentur, dæmoni enervumens infidenti mandavit ut, eo paulisper omisso, ad se per noctem, quæ instabat, diverteret. Venit prædo Tarrareus, neque inermis, aut incommittatus. Mane Colnagus apparuit in cubiculo cadaveris more prostratus, fracto corpore, oculis liventibus, ut animam acturus crederetur. Sed nullus hostis illi durior, quam ipse sibi. Morbos, quibus tenebatur obsessus, irritabat cruciatibus exquisitis, præsertim inedia. Ciborum quos necessitati dabat, saporem eripiebat voluptati; & absynthio, rutâ, pulvere, infusâ frigidâ, corrumpebat. Nullam annis viginti ficum (sunt illæ in Italia Siciliaque perbonæ, & ad ipsius eximie stomachum faciebant) degustavit. Accedebant ad patientiæ cumulum casus improvisi & molesti: nunc fractum brachium, nunc oberitum crus, obstructi nervi, & alia infortunia; quibus servi sui virtutem elimabat Deus, & præmium angebat. Gravissimo, dum vixit, lateris dolore cruciatus est; quem tanquam insigne munus, à Christo Crucifixo impetraverat. Ingravefcebat iste dolor ad mentionem Crucis; de qua nec loqui, nec cogitare, sine summo mæore ac simul voluptate, poterat. Sexta quaque feria incumbens lignæ Cruci brevem carpebat humi somnum: ipsam vero imaginem Servatoris Crucifixi ornatam floribus lectulo suo imponebat. Inter concionandum Crucem sæpissimè complectens, tam familiariter, tam suaviter, confixum in ea nostræ salutis vindicem alloquebatur, ut pios in sætus planctusque prorumperent universi. Æream pendens in Cruce Domini effigiem admotam pectori diu noctuque gestabat: & in sacris ejus vulneribus totus esse, in iis habitare, aliud nihil, quam JESUM Crucifixum, scire ac loqui videbatur. Hinc vivendi legem, patiendi robur, artem amandi hauriebat: solitus dicere, si libera sibi daretur optio, electurum se potius cum afflicta matre juxta Crucem, quam cum gloriosa in cœlis, filio assistere.

Secundum Christum, Colnagi delicia, Sanctissima Christi Mater fuit. Illius imaginem, ubicunque occurreret, eâ venerabatur pietate, ut facile filium agnosceres. Nullo non die coronam illi, solitis precibus, tanquam totidem contextam floribus, obtulit. Ter illam, ad æris sonum, quotidie salutans, Christi nascentis, morientis, ac resurgentis memoriam refricabat; idque ut à nemine omitteretur cavebat sedulo. Eiusdem virtutes, gratiam singularem apud Deum, summa in homines merita, studuerat accuratè cognoscere; præcipuisque laudibus, ubicunque occasio ferret, extollebat. Si quid urgeret gravioris negotii, si quid impetrandum a Numine beneficii, hanc sequestram & conciliatricem adhibebat. Ejus immunem ingenta labe conceptum defendit acriter; utque alii defenderent auctor fuit, Ortum ab illo creditur, ut Sicilia tota in Virginis sine macula conceptæ fidem clientelamque solenni & publico voto se contulerit. Ab ea cognovisse creditur se scriptum esse in libro vitæ. Ejus alloquio conspectuque sæpe dignatus est: ejus demum ope illibatam virginitatem cœlo intulit. Neque tamen hujus præclaræ virtutis palmam est sine pulvere ac labore consecutus. Innocen-

tes artis voluntariis poënis diferuciabat; sensus, oculosque potissimum ita coëtebat, ut ne transversum quidem digitum ab officio discederent; animum denique piis cogitationibus adeo totum occupabat, nullus ut impurus locus esset.

Quemadmodum purgati & nitentes oculi aciem intendunt longissimè, quam heberant sordes & obliant: sic puris mentibus ea vulgo dos concessa legitur & gloria, ut non tantum Deum videant ac divina, sed humana pariter prospiciant; & futuri caliginem, ceterorum oculis inaccesam, pervadant. Hoc in genere tam multa de P. Colnago prædicantur, ut non temere dictus sit locus in cœlesti regno inter prophetas sortitus esse. Templum pulcherrimum magno struebant sumptu Patavini collegii Patres. Transeunti forte illac, sub initium superioris seculi, surgentem speciosâ mole fabricam, & laborata summo artificio marmora læti ostentabant. Lustrabat ille cuncta mæstus ac silens: ad extremum illacrymans, Aliis hæc parantur, inquit, non vobis. Quid sibi vaticinium vellet brevi intellectum est, cum ex urbibus ditionis Venetæ cedendi necessitatem Societati Paulus V. imposuit*: Messanæ quatuor è nostris adolescentes intuitus, derebus piis inter se colloquentes, illis adjunxit se se: & in sermonem de morte ingressus, quo quisque illorum ordine, quis primus, quis postremus moriturus esset, singulis aperuit. De alio quodam libere pronunciavit dimittendum è Societate, ac vitam infelici sine clausuram. Dimissus est, & noctu à fratre confosus, à canibus devoratus. Vincentius Gonzaga, Mantuæ Dux, numerosam prolem illi Mantuâ discedenti, quatuor filios, obtulit; eisque ut bene precaretur flagitavit. Colnagus nullum vitalem fore significavit; licet obscurius, ne serenissimo parenti molestiam crearet. Lucem prædictioni eventus attulit. Sacerdotem de conscientia difficili quaestione, consilii petendi causa, trepide accedentem, necessariis & gravibus negotiis districtus cum audire non posset, remisit domum. Post paulo ad eundem litteras dedit, quibus rem totam artonito exposuit; & quid opus factu esset, adjecit. Ceteris narrandis superfedeo, quæ in ejus vita litteris consignata legere est.

Hujusmodi pleraque, Deo mentem collustrante, pervidebat: nonnulla cognoscebat sequestro atque interprete Angelo custode suo, cujus fruebatur conspectu, erudiebatur consiliis, in monitis acquiescebat: quadam a sanctis, quos præcipuo studio venerabatur, accipiebat. In iis D. Antonio Patavino tam familiariter utebatur, ut in cœlo jam esse Colnagum, aut in terris Antonium versari crederes. Unus è nostris fratribus rei domesticæ adjutoribus, dum per sacros hebdomadæ sanctioris dies aram apparabat, fallente vestigio prolapsus è summo culmine, contractis membris jacebat. Id ubi Colnagus rescivit, ad patronum suum supplex confugit. Mox ad ægrotum accurrens, Sanum te S. Antonius esse jubet: surge, & operi inchoato manum ultimam impone. Surrexit, & opus institutum absolvit. Virginem Deo sacram novissimis munitam esse sacramentis audiens, Age, inquit, S. Antonium deprecemur. Brevi precatione peracta, rosarium luctanti cum morte mittit: quod illa ubi attigit, mortem subito, & morbum paulo post excussit. Nec surdiores fuerunt ad ejus vota S. Franciscus Paulanus, aut S. Agatha, quam civem suam vocare consueverat. Unum duntaxat alterumve de ambobus referam. Catanensis ager annum MDXCVIII. senserat in paucis aridum & æstuosum. Humus vicinis Ætnæ incendiis exulta languebat: aer solibus serenitatis incanduerat: nulla spes messis, nulla pluvia; pestilentia famisque ingens metus. Urbs trepida supplicationem indicit ad S. Francisci Paulani templum: ac simul Bernardum rogat, ut ad populum verba facere non gravetur. Prodiit in suggestum persusus lacrymis, fune in collum inserto: urbemque ad poenitentiam cohortatus, orationem plenam ardoris & fiducia ad Christum & Paulanum suum convertit. Interim purus & innubis aer nondum auditas preces significabat. Dimissa concione, restitit in suggestu orans. Nemo se movit. Omnibus quid pararet expectantibus, assurgens, Mihi deliberatum est, ait, è templo, nisi pluvia impetrata, non discedere: vobis abire jam licet: ac librum expedit, ut sacerdotum preces consuetas persolveret. Vix incœperat, cum imbrem largum nubes effuderant: ut nemo jam domum ire, si vellet, posset. Festis vocibus miraculum conclamantium aedes tota personuit. Latitiam restituta præter spem messis cumulavit.

*Ann. 1666.
Vide Lib. XII.*

lavit. Idem postea beneficium, opera Divæ Agathæ, impetravit. Catanam aliquando multa nocte repetens in rheda, ad portas obseratas hærebat. Desiluit è curru, & ad portam adrepens, Agatha mea, inquit, aperi mihi, soror mea. Vix hæc: porta sponte referata est. Rhedarium, nemine qui aperuisset conspecto, metus incessit, ne valvæ per noctem patèrent: ut clauderet accessit: obstructas & vestibus suis munitas offendit.

In tanto Superum & hominum favore difficile fuit retinere animi demissionem. Eo intentiore cura Bernardus in hanc virtutem incubuit, postremum ubique locum captans; infima quæque ambiens ministeria; multus in peccatorum suorum cogitatione; se despiciens ac sua, despicique ab omnibus porro gaudens; delitescens, quoties liceret, in pauperum & puerorum erudienda turba; ibi degere fugitans, ubi notus & aliquo numero erat. Claudio Aquavivæ percontanti num efferrî se lætitia tacita & gloriatione sentiret, tot inter Dei dona, respondit in hanc sententiam: Si gemmas & auream supellectilem haberes hic, mi Pater, apud te ab aliquo Principe viro depositam, ac fidei tuæ curæque concreditam; istas, credo, gazas sine ullo gloriæ sensu aspectares. Quidquid est in me boni, meum non est: Dei totum est. Si quid agere videor, in quo potentia Numinis eluceat ac bonitas, sustinere me actoris in scena partes puto; qui nihil suo gerit ac loquitur nomine, sed personæ quam tuetur. Hoc etiam arbitror ad gloriam Dei pertinere, quòd utatur opera hujus vilissimi homuncionis, & instrumento tam rudi aliquid moliat. Ceterum inanem gloriam summum esse vesanæ mentis dedecus, habeo persuasum. Nunquam de aliis auditus est conqueri, nullam detrectavit pœnam, quamvis irrogatam immerenti: quin, sæpe à moderatoribus exoravit ut objurgaretur, ac plecteretur. Quæ gerebat præclare, solebat adscribere cœlitibus; aut puerorum, quibus ministris utebatur, innocentia. Laudibus eximii & veris quandoque oneratus à dæmone potius, quàm ornatus, retulit: Equidem istas, quas mihi occinns, virtutes nescio: at peccata mea novi. Parantem plura in hunc modum dicere superbus spiritus, corpore quod invaserat relicto, fugit. Alius Erebi similiter advena, minitabatur fore ut aliquem conspiceret. Præbuit os alacer Colnagus, ignominia spe; spem sefellit erumpens hostis, nec ferens humilitatem. Non tantum se aspernabatur Colnagus, oderat etiam pessime, ac modis omnibus male accipiebat. Ferè somnum carpebat fufus humi: si lecto uteretur, prægrandem in eo Crucem sternebat, cui supinus incubaret: ut ne dormiens quidem careret cruce: addebat spinas, testarum fragmina, & alias id genus delicias, tanquam collaria. Flagello se proscindebat noctibus singulis, ubicunque versaretur. Ante concionem hoc ipsum iterabat. Lumbos præterea, catena ferreis aculeis intexta præcingebat, sic emendas animas discitans, quas nemo bene, nisi lacrymis & cruore mercatur. Rectè ille quidem & verè: sed eas hoc pretio comparare quousquisque vult? Non minoris tamen Christo constituerunt. Saniem è putridis ulceribus exfugere; manus & pedes sentibus perfricare; nudum corpus in stagnum glacie concretum immergere; illud frigori & calori ustulandum exponere; & alia hujusmodi, quæ in sanctis miramur, imitatus fortiter ac sæpe fuit. Cubiculum, vel cavum potius, sub ipsis scalis angustum, inquietum, obscurum, & pulvere scalarum assiduo sordidum, elegerat. Plerumque stipem vicatim emendicabat. Remedia in morbo, quæ magnis coempta impensis offerebantur à piorum liberalitate, omnino respuens, obviis & parvo emptis erat contentus, quæ paupertas domestica suggerebat.

Domito corpore, nonnunquam impatiens jugi animus est. Illum vero ita subegerat Colnagus, ut instar baculi aut statuæ, quocumque majorum nutus ferret, ageretur. In medio rerum cursu fortunatisque successibus, ad levissimam obedientiæ auram contrahebat subito vela, aut aliò vertebat; transgrediens è scholis ad conciones; è concionibus ad scholas; ab amplissimis muniis ad abjectissima; ab otio, ad negotium, à negotio ad otium; ad omnia denique paratissimus. Recens egressum è cathedra theologica, & è molesta febri nondum planè recreatum, vixque nitentem pedibus, Panormum præfides vocarunt, ut conciones per vernum jejuniū haberet. Æger, imparatus, adyolavit. Pisculentum, inquebat, locum

27.
Humilitatis,
obedientiæ, fa-
lutis aliæ stu-
dium.

1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800

* Luc. 5.

video; at rete meum lacerum, Illud in nomine tuo, mi JESU, laxabo. Ardore concionandi febrim expulit, vires refecit, multitudinem animarum copiosam in sancta poenitentia retia conclusit. Cum ejus rosarium sudariumque, ad pellendos morbos, & miracula patrandi, passim adhiberentur; veterunt moderatores ne cui deinceps illa impertiret. Paruit; sed rem tulerunt cives ægerrimè, in primis matrona, cui ægilops informis oculi usum ademerat. Hæc ab eo rosarium impetrare nunquam potuit: sed ejusdem sputum illinens oculo, ægilopem deterfit. Alia mercede obedientiam Bernardi cæcam Deus est muneratus, ut feras obsequentes vulgo haberet, Messanæ inter amicos obambulans in littore maris, piscis evocavit audituros de laudibus divinis. Apparuit extemplo in ripa piscium agmen ingens, exertis in aqua summa capitibus; muta concio, sed non surda. Eundem cicures volucres domi, silvestres ruri, & animantium greges, de Deo dicentem, diu & attentè audierunt. Hirundines garritu improbo concionem urbanam interpellantes, tacere jussit: sturnos sacra JESU & MARIÆ nomina extempore distinctis vocibus recitare docuit.

Quanto servandarum animarum studio flagraverit tota ejus vita declarat, quam Apostoli exemplo impendit & superimpendit in salutem proximorum. Ad eam salutis alienæ curam non leviter olim exarserat, conspicatus recens enixam canem, cujus catuli fuerant in altam voraginem abjecti. Ea (tantus prolix amor est feris ipsis innatus!) nihil cunctata immani saltu præcipitem se in barathrum dederat. Tum vero Bernardus ita secum: Perire catulos bestia non patitur; in mortem certam ruit, illos ut servet: ego tot animas sempiterno pereuntes exitio lentus cernam? Neque me aut illarum calamitas, aut infitus à natura hominibus in simile genus amor, aut Christi fusus ipsarum causa sanguis commovebit? Operabat centum sibi esse corpora, centum voces; aut saltem pluribus simul adesse locis, quo plures juvaret: hujus postremi voti non semel Deus compotem illum fecit.

Porro cum vivorum tantam gereret curam, haudquaquam mortuis deerat. Ad eos sublevandos ut omnes omni ratione concurrerent, semper magnoperè laboravit. Prodigant ipsæ non raro ex igneis ergastulis animæ, ad preces patroni sui ac sacrificia postulanda. Eunti per plateam occurrit una, quæ graviter ingemiscens. Anni tres & quadraginta sunt, inquit, cum acerbè crucior; nemo est, qui pro me sacrificium vel unum offerat. Ego vero, excepit Colnagus, jam te hoc munere beabo: & in templum vicinum pergens, multis cum lacrymis sacrificat, attonitis qui loquentem audierant quidem utrumque, alterum tamen non viderant. Is explicuit rem totam, ac revertens domum, felicem animam, gratias ipsi agentem, obviam habuit. Obierat ab aliquot annis doctor, probitate non minus, quam eruditione, clarus. Hunc in lacu nivibus & glacie oppleto stantem, ac præ frigoris acerbitate coherescentem aspexit. Quæsit cur ita torqueretur, qui tam sanctè vixisset, obiissetque. Respondit unicam se culpam luere: sed alia Dei, alia hominum esse judicia. Sexcenta de hoc genere si referre velim, exscribenda sint volumina, quæ de illius rebus præclare gestis exstant.

P. Richardum Hallexum Regina Hispaniæ Margarita Austriaca delegerat, qui esset ipsi à sacris confessionibus. Hunc virtus eximia tanto muneri parem fecerat. Virtutem licentia quædam aulicæ vitæ, & abundantia religiosi viri metuenda, reddiderat illustriorem. Nam in affluente rerum & commodorum omnium copia, in Principum favore, in humanæ superbix fumo, non caligare, non extolli, non indulgere sibi plusculum, hoc & arduum, & rarum est. Hallexus nunquam adduci potuit, ut è regia liberalitate quidquam in sua commoda lautius derivaret. Quidquid ejus frugalitati supererat, ad egentium collegiorum angustias sublevandas distribuebatur. Non semel agitatam est de illo ad Ecclesiasticos gradus amplissimos efferendo: tam acriter obstitit, ut ejusmodi consilia penitus disculserit. In iis maxime rebus versabatur & curis, quæ ad alendam in aula & regno pietatem pertinerent: quod præcipuum videtur esse munus sacerdotis regie conscientix arbitri: nec tamen deradere quidpiam è subscevix horis omittebat, quod in pios libellos perscribendos conferret. Cujusmodi est egregia lucubratio de peccatorum dolore crebro & utiliter eliciendo; quæ per omnem Europam sparsa,

S. XVI.

PP. RICHARDUS HALLEX, CHRISTOPHORUS CLAVIUS, ET STEPHANUS ARATOR.

A. C. 1612.

Soc. 73.

28.

Religiosus Principum confessorius.

sa, & vario sermone donata, in Indiam usque pervasit. Septuagesimum vitæ mortalium annum decurrebat, cum ad immortalem est accitus in collegio Madritensi.

Religio est tacitum præterire P. Christophorum Clavium, qui Romæ Societatem amplexus, ibidem octavo Idus Februar. MDCXII. ætatis anno LXXV. cœcos, ut confidimus, adiit; quos, dum viveret, acie præstantis ingenii penetraverat. Mathematicorum artem reconditam & multiplicem professus Romæ annis XX. tantam ex ea laudem collegit, ut Euclides alter audiret: neque modo recentioribus mathematicis anteponebatur, sed antiquis exæquaretur. Insignem Gregorio XIII. Summo Pontifici, atque adeo toti Ecclesiæ navavit operam in emendando Calendario; quod concurrentibus in unum eruditissimorum virorum studiis, anno denique MDLXXXII. correctum ita fuit, ut post quartam Octobris diem expungerentur dies decem, & dies quintus ejus mensis diceretur quintusdecimus. Quippe totidem diebus aberrabat annus ab Æquinoctio verno. Irrepperant illi dies decem per incuriam superiorum temporum. Quippe annus continet dies trecentos sexaginta quinque, cum horis fere sex: quæ horæ sex quadriennio collectæ efficiunt horas XXIV. sive unum diem, addi solitum è præscripto C. Julii Cæsaris, quarto quoque anno post diem XXIV. Februarii: qui dies apud Romanos dicebatur olim sextus Calendas Martias; eamque ob causam dies ille intercalaris vocabatur bissextus Cal. Mart. & annus quo interferitur, Bissextilis hodieque nuncupatur*. Verum illa horæ sex, quæ coalescunt in unum diem post quartum quemque annum, non sunt integræ; defunt illis anno quolibet undecim minuta. Hæc post annos CXXXIII. collecta important jacturam unius diei: adeo ut Æquinoctium vernum, quod anno Christi CCCXXV. quo habita est prima Synodus Nicæna, assignatum erat XII. Calend. Aprilis, caderet anno Christi CCCCLVIII. in XI. Cal. April. idemque anno MDLXXXII. incideret in V. Idus Martii. Quare sapienter à Gregorio XIII. constitutum fuit, ut dies decem eximerentur, & rediret Æquinoctium ad illud punctum, unde discesserat. Ut autem simili malo in posterum occurreretur, néve à XII. Cal. Aprilis Æquinoctium vernum recederet, sancitum est ut identidem dies intercalaris, qui annum Bissextilem facit, omitteretur, nimirum ter intra trecentos quosque nonaginta novem annos: quia intra illud annorum spatium annus Julianus, id est per Julium Cæsarem, addito intercalari die, correctus, superat tribus tantum diebus annum Tropicum, seu verum & cœlestem.

Hanc emendationem, ut pote necessariam ac veritati consentaneam, catholici sunt amplexi: ab hæreticis compluribus repudiata est, quia Romani Pontificis consilio & auctoritate facta erat. Itaque solent adscribere litteris suis voces illas, *stilo novo, stilo veteri*. Eam Clementis VIII. jussu idem Christophorus Clavius defendit contra Michaelen Mæstlinum, Tubingensem mathematicum; contra Josephum Scaligerum, Georgium Germanum, & alios quosdam. Fuere qui Clavium accusaverint, quod cum sententias sacræ Congregationis, cui Calendarii emendandi provincia fuerat à Pontifice imposita, recognoscendas & in ordinem digerendas accepisset, eas commutaverit, aut etiam suppresserit; ut suam opinionem, ceteris rejectis, obruderet. Sed hoc falso illi fuisse objectum, è Vaticanæ bibliothecæ monumentis, ubi perscripta rei totius habetur historia, liquido compertum est. Eiusdem lucubrationes aliæ permultæ in lucem publicam prodierunt; tanta eruditorum omnium approbatione, ut Bambergenses statum publicè illi tanquam civi suo, & patriæ ornameto, ponendam obtulerint, si docere in urbe sua vellet. Honorem vir modestissimus respuit, nec se sui juris ac potestatis esse, ut sibi locum habitandi legeret, respondit. Ornabat hanc eruditionem studium virtutis par. Nihil fieri poterat in omni religiosæ vitæ munere accuratius: ut eandem in explendis officii numeris adhibere diligentiam videretur, quam in putandis astrorum rationibus usurpabat.

Olomutii P. Stephanus Szanto (latine Aratorem verteres) Hungarus, obiit tertio Nonas Quintiles; Fidei catholice acer propugnator, & hæreticorum professor hostis, an amicus potius? quibus innumeris contulit beneficium, quo vix homini homo conferre majus potest, nempe lucem veritatis. Cum quadraginta-

variarum

29.
Calendarii emendationem Gregorianam adjuvat P. Clavius defenditque.

* Vide Petavium de Doctrina temp. Lib. IV. cap. 36.

variarum sectarum doctoribus congressus, cunctis arma de manibus eripuit. Trecentos in synodum congregatos Varadini, provocavit ad liberam dimicationem, deque fatentibus triumphavit. Nec dicendo tantum Fidem propugnabat, sed etiam scribendo. Epitomen catholicae doctrinae ad Romani catechismi exemplar, variis, quae religioni confirmandae serviunt, argumentis locupletatam, Hungarico sermone composuit. Improborum odiis & obtreccionibus (quae fors probitatis est) saepe appetitus, sua se innocentia & eruditione, quam vel in hoste suspiciebant, semper abunde tutatus est. Proceribus Hungaris, licet eorum vitia non molliter infectaretur, eximie carus exstitit. Stephani Bathorii, Poloniae regis, famam & constantiam in catholica Fide, a nonnullis vexatam, apud Pontificem & Cardinales egregia oratione defendit. Inter ceteras virtutes tanta erat in egenos benignitate, ut misericordiam secum crevisse dicitaret. Cum semper flagrasset cupiditate martyrii, nec ingentis voti copiam Superi fecissent; ea moriens consolatione sustentabatur, quod religionem non solum verbis scriptisque defendere, sed etiam pro illa non nihil pati sibi datum esset. Ad Societatem à Seminario Urbis Hungarico accesserat anno MDLXI. aetatis XX.

§.XVII.
P. PETRUS SCARGA.
6A.

Eandem religionis non dicendo tantum & scribendo, sed etiam multa tolerando propugnatae gloriam vindicare sibi jure potest P. Petrus Scarga, Polonus, quem pariter annus MDCXII. è statione vitae mortalis emisit, quinto Cal. Octobris, annos aetatis numerantem sex & septuaginta. Litterarum humaniorum & philosophiae spatia non vulgari laude praestantis indolis & ingenii emensus, dicendi facultatem, ad quam illum felix natura finxerat, servandis animabus impendere statuit: nihil dum de religiosa vita cogitans. Ad id muneris ut esset expeditior, donatam sibi ab Archiepiscopo Leopolitano praeposituram Rohatincensem deposuit. Hoc onere abdicato, exorsus est populum à vitiis deterere insigni & Apostolica facundia, omnes privatis sermonibus ad virtutem cohortari, praere exemplo; in carceribus & nosocomiis habitare. Ita Societati Jesu parabatur, quanquam divini nondum gnarus consilii. Hanc illi & fama cognitam, & communitio eorumdem studiorum caram pridem fecerat. Ut in eam se diceret, ab amico praeter expectationem inductus est. Simon Wysochus, Societatis Jesu postea sacerdos, & Poloniae suae clarissimum lumen, de statu vitae capeffendo deliberans, Scargam adiecit. Ille, orato parumper Deo, renunciat nullum sibi occurrere institutum vitae Simoni convenientius, quam Societatem Jesu, magno Ecclesiae commodo nuper exortam: simul rogavit ut rediret postredie; se amplius deliberaturum. Ipse interea secum: Quin tu, quod alteri das consilium, sumis tibi? Ea cogitatione, tanquam telo ictus, religiosae militiae ducem Christum in Societate sequi decrevit: ac redeunti postredie Simoni se via comitem Romam usque obtulit; nam in Polonia nondum sedem Societas habebat. Rebus domesticis compositis, iter capeffunt, in omnem juvandarum, pro re ac loco, animarum occasionem intenti. Ea non defuit. Cum domum Comitis Tamoni ex itinere divertissent, eum Scarga pane victum à ministris haereseos, nutantemque in Fide catholica, reperit. Hominem aggressus dedocet; fallacias erroris detegit: demum ita confirmat, ut post aliquot annos idem Comes moriturus eundem acciverit; eique, in procerum qui aderant conspectu, salutem suam & constantiam in retinenda Fide catholica, secundum Deum, acceptam retulerit. Pari successu, at majori labore, Nicolaum Mielecium Podoliae Palatinum, virum civilis prudentiae & aequitatis laude clarum, sed haeresei deditissimum, expugnavit. Ejus conjux, viro pejor, Calvinum olim secuta, postea desciverat ad Arianos; demum ad Judaeos se contulerat. Utrumque Scarga leniter adortus, rationum pondere ac veritatis vi obruit. Palatinus, cui nunquam verba defuerant, sive de religione, sive de republica dissereret, tunc primum obmutescens infremuit. Dolorem suum tamen pudoremque dissimulans, victorem benignè dimisit. Sed famulos consequi iussit, ut illum è ponte, per quem iter necessarium erat, in profluentem deturbarent. Interim, Deo mentem collustrante, rationes à theologo catholico allatas cum mendacii captiunculis componens, fucum agnovit. Revocat Scargam, meditati sceleris veniam obortis lacrymis petit; & Fidem catholicam cum conjuge professus, in eadem ad extremum usque spiritum

spiritum perstitit. His præliis ad majora quasi proludens Romam attigit Scarga mense Septembri anni MDLXVIII. cum B. Stanislaus Kostka Sextili mense terras cælo mutasset: in quo divina benignitas consulere Poloniæ visa est, dum in locum recepti cælo adolescentis, maturum gerendis rebus virum terris dedit; ut alter potenti patrocinio, alter labore utili ornaret patriam & juvaret.

Acceptus in Societatem anno MDLXIX. & idoneis litterarum, præsertim sacrarum, armis instructus, cum operam aliquandiu navasset Romæ, inter Socios Apostolico Pœnitentiæ foro ad S. Petrum præpositos, Poloniam repetiit. Ibi nativam dicendi copiam Pultoviæ primum explicuit, deinde in Livonia: quod Cardinalem Radzivilum, ac postea Stephanum Bathorium, Poloniæ Regem, securus est: demum Cracoviæ; quam urbem regni primariam, perfunctus collegii Vilnensis & Poloniæ provinciæ administratione, tutandam adversus Erroris insidias existimavit. Ut enim ad reipublicæ, sic ad religionis securitatem, plurimum in urbibus præcipuis momenti est, quarum ad exemplum ceteræ componuntur. Id Hæresis non nesciens Cracoviam irrepserat. Squalebant magnam partem templa: rarus conviva cœlestem ad mensam accumbebat: frigebat precatio: de peccatis confiteri prope pudor erat. Reddidit concionator Apostolicus nitorem templis, frequentiam angelicæ mensæ, pœnitentiæ decus. Ut autem easdem utilitates in alia spargeret oppida, Societatis domos condere studuit Derpati, Rigæ, Polocii ac Jaroslavia: Cracoviæ verò domum Professorum fundavit, ac domum Probationis auxit. Præterea variis in locis pias instituit sodalitates; unam Varsoviæ præ ceteris insignem; quæ id negotii sibi sumpsit, ut mendicos vicatim sparsos jacentesque colligeret, & ad nosocomium paratum deduceret.

Latebat in hac religiosa vitæ latus umbra, cum in lucem aulae vocatus est * à Sigismundo III. ad Polonicum solium post Stephani Bathorii mortem evecto, eique à sacris concionibus esse iustus: quo in munere annos ipsos XXIV. versatus est, magno & aulae & regni totius bono, nec nulla Societatis commendatione. Pigmenta orationis & cerussam rhetorum fugiens, in fœditate vitiorum, in virtutum forma & dignitate pingenda vim dicendi artemque consumebat. Quo enim reliqua, id si negligatur? Nec tamen in hac re una summam reponebat bonæ concionis: nisi Deus oratione, ac voluntariis pœnis conciliaretur. Eas vero largè ac liberaliter imponebat sibi, ac præclaras morum & animorum commutationes multo emebat sanguine. Sic rigati fructus manent *: decidunt brevi, quos popularis duntaxat aura procreavit. Nec faciendam tantum vocem alienæ salutis commodabat, sed eruditam quoque manum. Egregia divorum facinora selectasque vitas, vernaculo sermone donatas, distribuit in singulos anni dies: iisdem præcepta morum subjunxit, ac deprompta è sanctissimorum virorum scriptis effata, quibus confirmaretur doctrina catholica, & pietas aleretur. Hunc librum usus publicus, & repetita octies paucis annis editio celebravit. Annales Baronii, amplissimum historiæ sacræ, post conditam Ecclesiam Christi, monumentum; at spissum opus, & sua quodammodo laborans mole, redegit in volumen unum, quo ejus utilitas latius patèret: consilium ipse Baronius laudavit. Calvinum, Lutherum, Volanum, Sacramentarios, non uno scripto contudit. Redivivam in his partibus post tot seculorum clades Arianam Hydram, & recentius Ruthenici schismatis monstrum, eruditis lucubrationibus profligavit. Militibus orandi vivendique formulam præscripsit. Adeo nullum genus hominum erat, cui prodesse non laboraret! Quanti ejus scripta ipsi veritatis hostes facerent, nunquam apertius docuerunt, quam Vilnæ, cum insignem commentarium de Unitate Ecclesiæ, de Græcorum Ruthenorumque ab ea divortio, & causis redintegrandæ concordia, in lucem edidisset. Cum enim veritatem adeò perspicuè propositam, tot probatam argumentis, nec refutare possent, nec ferre; conquisita diligenter exemplaria, & à bibliopolis empta, unum in rogam conjecerunt. Sed hoc incendio illustrata est eorum imbecillitas, & catholici scriptoris fama. Itaque cum ad aures ipsius Regis accidisset tam illiberalis & indigna causæ malæ defensio, librum è suis cineribus & immerito rogo excitatum in lucem rursus extulit; & contra inimicam vim, regis majestatis auctoritate munivit.

30.
Poloniam sacris concionibus, utriusque libris, exemplo virtutum, erudit illustratque.

* Anno 1588.

* Et fructus huius
maneat. Joan. 15.

Adver-

31.
 Patientia in to-
 lerandis hæreti-
 corum injuriis:
 ardor in tuenda
 Fide: disciplinæ
 religioſæ cura.

Adverſarii ad convicia & opprobria, imbellis ac victæ nequitia arma, ſe-
 retulerunt. Nec manibus aliquando temperarunt. Infectatus hæreſim acrius pro
 concione fuerat: eques hæreticus in redeunte è templo invecſus, provolvit eum
 in luto, & illiſis equi calcibus jacentem protrivit: pœnam tamen legibus debitam
 fugit, deprecatore Scarga. Adoleſcens ex aula nobilis cum ſe notatum ab eo
 crederet in ſermone, quo luxum & inanem veſtium lautitiam graviter exagita-
 verat; prætereuntem maledictis primò, deinde alapa petulanter appetiit. Non
 aliter ultus eſt injuriam imitator Chriſti & diſcipulus, quàm genam alteram præ-
 bendo: imò ultus eſt etiam illuſtiore modo. Cum enim Rex aulicum procacem
 comprehendi, & divinæ, in lædendo ſacerdote; regis, in ſuo concionatore pulſando,
 Majeſtatis violatæ reum, capitali ſupplicio addixiſſet: uſque eò inſtitit Scarga, ut
 libertatem adoleſcenti ac vitam exoraverit.

Quam autem erat lenis ac moderatus, cum ſua duntaxat res agebatur; tam
 erat acer & efficax ubi cauſa religionis in periculum veniebat. Ruthenis aliquot
 Græcanici ritus Episcopis injecta mens fuerat reconciliandæ cum Eccleſia Romana
 gratiæ. Eorum conſilia promovit omni ope, & ſchiſmaticorum initam adverſus
 illos cum hæreticis conjurationem diſjecit. Datus erat, temporum vicio miſera-
 bili, aditus in Polonia ſenatum hominibus permultis ambiguae aut corruptæ Fidei
 ac religionis: ex quo exiſtebat iſta labes, ut ab iis diſturbaretur quidquid in rem
 commodumque catholicæ religionis ſenatu proponeretur. Huic malo Rex prudentiſ-
 ſimus occurrere ſtuderat, ſubmovendo patronos erroris, & curiam catholicis
 implendo. Sic hæreſis, cui ſemper hujus vitæ potior, quàm æternæ cura fuit, ho-
 noribus ſpoliata, multos è ſuis gregalibus amittebat quotidie, qui nullum in ſe-
 natu publicis muneribus videbant eſſe locum avitæ pietatis deſertoribus. Non-
 nulli tamen & erroris & dignitatis retinendæ cupidiores libellum pro-
 cuderunt, *Confederationis*, ut ipſi appellabant: in quo Regem arte multa permiſcentes,
 de libera cujuſlibet ſectæ profeſſione, de tribuendis hæreſi templis, & variarum
 rerum concedenda immunitate diſſerebant. Peſtilentem ſetum deſcripſit pro
 concione Scarga, & illius parentes tanto pudore affecti; ut ſpuriam prolem in publi-
 cam lucem edere non ſint auſi. Opusculum igitur aliud elaborant multo callidius:
 amputant quidquid offendere catholicorum religioſas aures poſſet. Eodem ten-
 debant, ſed per ambages & cuniculos. Porrigunt libellum Regi: obteſtantur ut,
 ſi cetera ſibi ſint erepta, ne ſaltem aliquid levioris momenti annuere ſupplicibus
 recuſet. Sparſus per urbem liber, & viritim lectus, non diſplicebat. Inſtabat
 dies quo Rex de illo pronuntiaturus in comitiis erat. Nocte totum opus relegens
 attentius fraudem perſenſit; ac P. Scargæ diligentius examinandum, licet intem-
 peſta jam nocte, miſit; admonens, videret etiam atque etiam quid ſibi falvis con-
 ſcientiæ legibus concedere liceret. Legit Scarga, excuſſit; virus occultum depre-
 hendit, ac Regi patefecit. Nec ſatis: mane ſummo concuſſat urbem, optimates
 ac præcipuos ſenatores adit; demonſtrat ſingulis quantam rei catholicæ plagam
 inferant, quantum ſceleris ſuſcipiant, ſi tam exitiis poſtulatibus annuant. Re-
 jectus libellus eſt, ac vota ſua ſpeſque deluſas Hæreſis doluit.

Multis rebus hunc in modum præclare pro religione fortiterque geſtis; revo-
 catis à novercali Erroris complexu, ad Eccleſiæ matris ſinum ex omni ordine
 quamplurimis; poſtquam ætas inclinata priſtinis laboribus vires negabat, de re-
 ceptu cogitavit. Ægrè à Societatis præſidibus, ægrius à Rege miſſionem obtinuit.
 Ea demum impetrata, Regi, ſenatu, populo multam ſalutem, ipſo Paſchatis die,
 noviffimis verbis, non ſine lacrymis gemituque concionis, Varſaviæ dixit. Inde
 Cracoviam pergens, omnibus lætitiis incedere viſus eſt, cum à negotioſo ſtrepitu
 regalis aula in tranquillum religioſæ domus otium conceſſit; uni Deo ſibi que
 vacaturus. Neque vero illi moleſta poterat accidere privata vitæ ſolitudo, aut
 piæ paupertatis anguſtiæ: quibus in ipſo tumultu aula, & in media rerum omnium
 copia pridem aſſueverat: nihil è regia munificentia, præter neceſſarios ſumptus,
 commodi capiens, & accuratam acceptæ de fiſco pecuniæ rationem præſidibus So-
 cietatis reddere ſolitus. Humilitatem vero, quam religioſi hominis teſſeram rectè
 dixeris, ita coluit, ut cum Regi ſuo eſſet acceptiſſimus; cum ipſius Clementis VIII.
 litteris

litteris honorificentissimis & gratulatione ornaretur; cum populi ac Principum amicitia & existimatione floreret; ea tamen sic acciperet, quasi ad se nihil pertinerent majorum nutus omnes observaret; cum infimis libentius ageret, quàm cum summis; splendorem, ornatum, delicias, in cubiculo, victu, vestitu fugeret; postremas ubique partes sibi sumeret; minimas religiosæ disciplinæ leges maximi faceret.

Hæc magna sunt in magnis etiam viris, & magnos ipsa faciunt: quæ si quis tamen exigua & levia esse contendat, respondebimus cum Historiæ Romanæ scriptore prudentissimo: *Parva sunt hæc, sed parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt* *. Ego vero istis minimis religiosæ vitæ muneribus diligenter ac sanctè obeundis non minus, quàm speciosis pro Ecclesiæ laboribus, assignaverim singularia beneficia, quibus vir egregius affectus est à Superis; quorum etiam aspectu dignatus haud semel fuisse traditur. Ejus quidem probitatis ac innocentia testis ipse dæmon malus existit: qui cum ab eo sacris Ecclesiæ precibus de corporis occupati possessione pelleretur, minatus est dicturum se aliquid ipsi quod doleret. Dicendi potestatem Scarga fecit. Tum prædo Tartareus nescio quid objecit adeo minutum ac leve, ut aciem fugeret. Ex quo intelligi potest & viri sanctimonia, & hostium Avernium in observandis erratis vel minimis diligentia. Curatum ejus funus magno concursu omnium Ordinum & veneratione. Laudatus est oratione insigni à clarissimo Dominicanæ familiæ theologo, ex iis sacre pagine verbis: *Surrexit Elias, & verbum illius quasi facula ardebat* *. Orationis veritatem secunda concionis admurmuratio, & universæ Poloniæ consensus approbavit.

P. Sebastianus Sarmientus, Hispanus, incitatus præcipuè fuerat exemplo S. Francisci Borgiæ ut, opibus avitis honoribusque contemptis, Christi humilitatem in ejus Societate complecteretur. Jactis virtutum maximarum, quæ ad Evangelici verbi spargendi ministerium sunt opus, fundamentis, dicere ad populum instituit ardore tanto, ut eos qui audiebant, quocumque incubisset oratio, vellet, nollet, impelleret. Peragratis hunc in modum urbibus Hispaniæ nobilissimis, ingens illum inaccessit cupido Indias petendi. Non impetravit. Ergo minus cultas Hispaniæ partes, & in via montium juga sibi delegit, ubi desudaret; suam hanc Indiam arbitratus. Nec labores & ærumna Indici pares defuerunt. Nunquam tamen ita distentus gravi alienæ salutis procurandæ negotio tenebatur, quin horas quotidie quinas indulgeret dulci sanctæ contemplationis otio, & eas quidem nocturnas, si diurna decissent. Orando, seque afflicto, nihil à Dei benignitate non exorabat. Apud hominem facinorosum, merito afficiendum publicè supplicio, parum profecerat cohortatione multa & jactatione. Resistebat durum immotumque scelerati pectus; instar scopuli, quem irati fluctus incassum verberant. Sarmientus noctem totam precando, & corpus diris vexando modis traduxit. Redit postridie. Mutatum, scelera detestantem, lacrymis perfusum, deprehendit. Quanto erat Sarmientus animarum servandarum studiosior, tanto infensiores illarum hostes Tartareos sentiebat. Ac primo quidem scrupulis, & tentationibus, molestiam illi non levem exhibuerunt: deinde larvis induti deformibus, horrissono strepitu, rugitu, mugituque terribili, hominem de pietatis constantia, de orandi studio, dimovere diu conati sunt. Adfuit Angelorum Regina, cujus patrocinio mirificè confidebat, quam omni colebat officio. Hæc luctantem cum morte, supremo in morbo, cumque Avernali cohorte decertantem non deseruit. Ubi primum in cubiculo est visa, cœlestique luce radiantem vultum explicuit, fugam illico Stygia monstra, tanquam nocturnæ ad lucis conspectum, arripuerunt. Christus post paulo, matrem consecutus, servum suum de sempiterna salute fecit certiores. Quo ille gaudio delibutus, ad gratias in patria cœlesti melius solvendas, quibus hîc habendis imparem se profitebatur, evolavit VI. Idus Augusti, annis quinquaginta, minus uno, confectis. Conspectus illo ipso temporis puncto fertur à matrona notæ probitatis, candido amictu tectus, quo cœlites induti videntes se se mortalibus vulgò præbent. Alii beatarum mentium fulgente circumchoro, & sidereis in arces raptum aspexere. Movit religiosum horrorem spectantibus cadaver, cum, ut inferretur tumulo, compositum & ablutum est.

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

T t t t

Tunc

* Tit. Livius
Lib. VI.

* Eccl. 45.

§. XVIII.

PP. SEBASTIANUS
SARMIENTUS, ET
OLIVERIUS MA-
NAREUS.

32.

Quibus armis
perrumpenda
obstinatorum in
scelere duritia.

Tunc enimvero pertusum & laceratum sexcentis locis apparuit. Exstabant vibices flagellorum, quibus quotidie fuerat laniatum; catenarum ferrearum livida notæ, quibus constrictum; aculei clavorum & uncinorum, quibus confixum. Hæc illorum insignia, qui Christi sunt, qui nimirum carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Sed, si compatimur, & glorificabimur*.

* Ad Galat. V.
* Ad Rom. VIII.

A. C. 1614.
Soc. 75.

* Bonum est nos
hic esse.
Matth. 17.

* Anno 1563.

* Anno 1581.

33.
Animi pia tran-
quillitas: opis
divinæ fiducia.

* I. Joan. 4.

S. XIX.
R. P. CLAUDIUS
AQUAVIVA.

A. C. 1615.
Soc. 76.

Orbata est anno MDCXIV. provincia Belgica insigni viro P. Oliverio Manareo, primo & nonagesimo anno, quàm natus; sexagesimo quarto, quàm Societati additus fuerat. Senio & pulcris laboribus pro Dei gloria & Societate susceptis fractum agra valetudo per annos quatuor in lectulo detinuit. Hinc innata vitiatis artubus gangræna languentem Tornaci extinxit, in domo Probationis operam Parisios anno MDXLVIII. se contulisset, subita vox ad aures allapsa solitudine liberavit: *Quid dubitas? hic bene es**. Erat domi nostræ, ubi P. Everardus Mercurianus illum piis meditationibus exercebat. Inde Romam veniens a S. Ignatio acceptus in Societatem est, nec ita multo post collegio Romano prepositus: mox ad Lauretanum constituendum missus. Post obitum S. Ignatii iussus à P. Lainio petere Galliam * cum potestate & nomine Commissarii, ut vocabant, Parisiensis collegii negotia maximis impedita difficultatibus expedivit. Eodem ornatus munere Societatem in Germania lustravit. Romam revocatus, Assistens & admonitor P. Everardo Mercuriano datus est à Congregatione Generali: tertia: eoque mortuo creatus Societatis Vicarius generalis indixit Congregationem, quæ P. Claudio Aquavivæ gubernacula Ordinis tradidit. Ab eo statim visitandis Austria, Germania, & Belgii provinciis præfectus*, ætate jam affecta, in Belgio confedit; ubi Societatem multis domiciliis & optimis institutis formavit, auxit, illustravit. Virtutis eum assecutus erat gradum, ad quem pervenisse hominem par erat, cui Societatis moderatores tam multa & gravia munera committerent; quibus summa omnium approbatione functus ubique est. Illud mirum, tot inter itinera, occupationes, negotia, sæpe molesta & tetra, conservatam ab eo suavitatem dulcissimæ pietatis, quæ oranti, quæ sacrificanti, lacrymas eliceret.

Eventu nullo perturbari solitus, in perspecta Dei voluntate acquiescebat: cujus in paternam benignitatem & providentiam ita curam omnem non hujus solum vitæ, sed etiam æternæ projecerat, ut caritatis, quæ *timorem foras mittit**, perfectionem adeptus videretur. Laureti cum Sociorum familiam regetet, appetente hora prandii, monitus est quinque, non amplius, domi esse parvulos panes. Dari signum jubet, ac sexaginta (quot erant Socii) panes reperti sunt in triclinio. Ex eodem collegio rei familiaris administrum misit ad nundinas, empturum panes vestibus conficiendis. Nummi deerant: neque occurrebat qui mutuos daret. Oblatus tamen est obvius creditor, qui quantum æris opus fuit, mutuum prebuit: ac paucis post diebus aurei nummi trecenti præter spem in manus P. Oliverii venerunt; quibus & mutuum es repensum creditori, & angustiæ rei familiaris levatæ sunt. Quantâ valeret apud Deum gratiâ expertus est in suo periculo P. Eleutherius Pontanus. Qui cum versaretur adhuc in tirocinio, didicerat ab illo divina luce collustrato, futurum ut gravissimis conscientię angoribus & molestiis aliquando cruciaretur. Duram prædictionem res ipsa confirmavit. Oppressus onerato Pontanus, cum propemodum ad desperationem adigeretur, ab eo mali remedium petiit, unde illud cognoverat. Oliverius suis precibus, à Deo impetravit ut hoc immani pondere liberatus optata pace frueretur. Ejus tamen angustum & exilem animum increpuit, admonens, nisi hac spinosa, & referta crucibus, via non perveniri ad fastigium eximiæ virtutis. Ingentium scilicet animarum est magna pro Deo non solum facere, sed etiam pati.

Initium anni MDCXV. funestum ac triste Societati fecit obitus P. Claudii Aquavivæ: exitum lætiorum subrogatus illi P. Mutius Vitelleschus. Aquavivam ætas in senium vergens, & negotiorum, quam tot annos jam sustinebat, molestis sensim debilitaverat. Idem erat animi vigor: corporis non idem, ac maxime periculis, in quod humor noxius à capite defluens valetudinem hibernis frigidibus tentari solitam, gravius afflixit octavo Cal. Februarias. Mortem, quam antea longè

longè prospexerat, imminentem impavidus ac letus vidit. Pontifex egrotantem magna doloris & benevolentię significatione, atque adeo pia prece est profecutus, misso ad eum cubiculi Pontificii prefecto, consuetumque sacrificandi tempus extraxit aliquandiu, studio cœlestem hostiam immolandi pro ejus anima, quam apparebat ante meridiem è corpore discessuram. Hunc metum injecerat ingruens derrepente sopor letalis ac veternus, qui si non vitam, certe vitę usum ferè omnem abstulerat. Eo paulum discusso, eger cum morbo ac morte luctatus est usque ad postremam Januarii lucem, quã novissimis sacramentis munitus, & Patribus qui aderant, ac toti Societati bene precatus, placidè in Domino quievit. Purpurati Patres, presulesque plurimi exequias presentia sua & luctu non ficto cohonestarunt, unoque ore cum ipso Pontifice professi sunt virum summum Romę ac Societati ereptum esse. Lugdunensis vero Archiepiscopus, Cardinalis Dionysius Simeon Marquemontius, de illius obitu factus certior, cum eundem ornasset multis laudibus, narravit inter testes, de S. Philippi Nerii rebus gestis à se interrogatos Romę; cum Romanę Rotę auditor huic præfesset negotio & quæstioni, existitisse unum qui affirmaret auditum à se S. Philippum Nerium, cum diceret visum sibi P. Claudii Aquavivę caput, itidem ut olim S. Ignatii, radiis cœlestibus redimitum. Neque vero solum Romanis proceribus, & aliis quibus fuerat Aquaviva notior, præclara hæc de illius probitate opinio penitus infederat, verum etiam omni populo, idque tunc maxime patuit, cum ad vestes mortui piè lacerandas tam avidè prorupit, vix ut irruentium manibus subduci potuerit. Falsam populi opinionem non fuisse docet ipse vita, per omnes ætatis gradus eodem eximie virtutis tenore ducta.

Ab accuratissima parentis Joannis Antonii Aquavivę, Adrię ducis, institutione hauserat mores optimos. Jam tum emicabat in puero velut herbescens virtutum omnium viriditas, quę deinde in maturam frugem adolevit; ipsa crepundia, lususque pueriles pietatem spirabant: ut facile pectus natum Deo rebusque sacris agnosceres. Neque minor enituit ingenii facultas ad bonas artes, cum accrevit ætas doctrinę patiens. Magna erat memorię fides, intelligentię sagacitas, maturitas etiam judicii, quibus deinde dotibus excelluit: & quibus fretus litteras Latinas, Græcas, Hebraicas, cum Mathematicorum argutiis celerrimè arripuit. Hęc animi ornamenta cum pari dignitate liberalis formę conjuncta, spem fecerant affinitibus fore ut insignem aliquando inter Ecclesiastici Ordinis lumina locum obtineret. Ea mente Perusiam, nobile Juris utriusquę stadium, profectus est: sed cum valetudinem studii contentione debilitasset, in patriam revocatur: unde missus Romam ad Pontificem, domestici negotii causa, Pio IV. valde satisfecit, & opera Cardinalis Altaempsi, cui cum gente Aquaviva vetus & arcta necessitudo intercedebat, cubiculo Pontificio est præpositus: quod munus in Romana curia perhonorificum retinuit sub Pio V. Pii Quarti successore. In isto gradu dignitatis, & usitato ad summos honores aditu, cum celebraretur omnium laudibus, ejus doctrinam, probitatem, & modestiam prædicantium, detexit immissa divinitus luce inanitatem honoris humani, qui dum attollit homines, non continuo magnos facit; sed eorum sæpe tenuitatem, cum altius evedti conspiciuntur, ostendit. Tum autem vehementer illum deterrebat bonorum Ecclesiasticorum conditio, quę sine summo salutis aternę discrimine non administrantur.

Agebatur annus MDLXVI. cum infesta cœli tempestas morbum pestilentem in ea Urbis parte vulgavit, quę colli à Trinitatis æde nuncupato subest, & ad populi, ut illic loquuntur, portam usque pertinet. Societas ad publicam calamitatem levandam accurrit, effecitque ut necessaria corporibus animisque subsidia prolixè suppetent, ac plerisque ex infima plebe nihil habentibus nihil deesset. Laudavit Patrum caritatem Roma, Pontifex vehementer approbavit. Aquaviva Societatem, licet jam cognitam, majori habuit in pretio; & ad eum Ordinem, unde talia prodirent exempla caritatis, inclinari se sensit. Inde singulorum observans mores, ut est eorum consuetudo qui se ad religiosum aliquod institutum applicare cogitant, coniecit oculos in P. Christophorum Rodericium, quo ad pietatis opera Pius V. plurimum utebatur: quique ob eam rem ad aulam Pontificiam

34.
Ejus vitę synopsis. Ingressus in Societatem & tirocinium.

ficiam ventitans, non otiosos in anteriore conclavi, cum expectantibus aditum ad Pontificem, sermones miscebat; non colligebat urbanos rumores, aut externos & adventitios serebat; sed sancta & prudenti libertate nunc illi, nunc isti se adjungens, hortabatur unumquemque ad pietatem, & salutis monita singulis suggererebat. Rursus, palatium frequens inibat ob Societatis negotia Franciscus Borgia Præpositus Generalis, cum Joanne Polanco, Societatis Secretario: quorum in vultu habitare modestia sanctitalque videbatur. Movit ea species Aquavivam, utque Societatis leges diligentius cognosceret incitavit: quibus demum probe perspectis, à S. Franc. Borgia est admittus anno MDLXVII.

Ætas jam matura, & annum fere vigesimum quartum egressa; mores pristini nulla inquinari labe, nulla cupiditate mala depravati; facilem novo tironi virtutis religiosæ ac perfectæ viam straverunt. Tribus illam contineri maxime capitibus censuit: pietate, obedientia, mortificatione: nec immerito. Nam mortificatio nos à nobis ipsis quasi disjungit: pietas vero Numini; obedientia præfidiis conjungit. Primum igitur summa studuit cura emendare quidquid in se minus compositum deprehenderet. Attentus ubique & vigil, ne qua in re genio & voluntati suæ obsecundaret. Pietatem aluit assiduitate precandi, & præsentia divinæ ubique velut circumferendæ studio: quod in gravioribus postea occupationibus, & negotiorum tumultu, retinuit; in Dei quasi complexu placide, quocumque rerum alea caderet, acquiescens. Ut obedientiæ religiosæ dignitatem perciperet, discrimen sæpe meditabatur, quod intercedit inter illam servitutem, quam homines hominibus; & illam, quam religiosi viri Deo serviunt. Nam, inquebat, aulici principum virorum & servi sæpe, dum illis famulantur, expendunt multa de suo: Deus nobis liberaliter, unde ipsi serviamus, largitur. Deinde verendum non est, ne quis gratia Dei excidat per alienam malignitatem, invidiam, obreccationem: quod inter nobilium famulos sapissimè accidit. Denique hominum clientes & servos pacta mercede non raro fraudat sua vel domini mors: at neque Deus moritur; neque ipsius cultoribus præmium, interposita morte, perit.

His aliisque id genus cogitationibus eo pervenerat, ut aspernaretur quidquid aut Deus, aut Dei, non esset: quidquid vero ad obsequium Numinis cerneret pertinere, quamlibet asperum aut abjectum, alacritate summa capesseret. Hanc vero cœlestem sapientiam paucis mensibus ita didicit generosus tiro, ut idoneus sit visus qui eam aliis traderet. Itaque B. Stanislao Kostkæ tirocinium auspicianti magister datus, illi prima vitæ religiosæ rudimenta in Spiritualibus Exercitiis proposuit. Quæ Beatus Adolefcens cum hauriret avidè, & ad singula prope verba piis lacrymis deliquesceret; aiebat Claudius impositas sibi fuisse partes accipiendi Spiritualia Exercitia, non tradendi.

His Aquavivæ primordiis consensit illud tempus, quod in collegio Romano transegit. Vixdum ad metam theologicæ curriculi pervenerat, cum philosophiam docere jussus est. Decurrebat novum hoc stadium alacer, cum, rupta subito peccatoris venâ, docendi munus omittere cogitur, ac Romano Seminario præficitur: Deo jam tunc illum ad moderanda Societatis aliquando gubernacula præparante. Biennium eo munere functus erat, cum P. Alphonfus Salmeron provinciæ Neapolitanæ regimen deposuit; ut præclaros in sacram Scripturam commentarios, prope jam ad umbilicum perductos, absolveret. Provinciæ curam Everardus Mercurianus, Generalis Præpositus, Aquavivæ demandavit*. Quo in munere cum egregiam quandam insisteret viam gubernandi, ejusque prudentia communi approbatione floreret, venit Romam VIII. Idus Junii anni MDLXXX. accitus à Præposito Generali, & Romanæ provinciæ præponitur. Vix duo menses fluxerant, cum, extincto P. Everardo Mercuriano, comitia totius Ordinis indicta sunt in sequentem annum MDLXXXI. quæ ipsi administrationem Societatis imposuerunt, XI. Cal. Martias: quamvis annos nondum triginta octo explevisset, necdum quatuordecim in Societate numeraret. Rem, quemadmodum est gesta, explicant annales nostri, ad eundem annum; ubi etiam docent quo pacto novi Generalis Præpositi electio divinitus fuerit præmonstrata. Sane dubitari non potest, quin certo Numinis consilio vir tantus fuerit electus, qui Societatem difficillimis temporibus regeret, ejusque

35.
Creatur Præpositus Generalis Societatis. Ejus ratio gubernandi.

* Anno 1575.

ejusque leges optimas confirmaret usu, explicaret verbis, exemplo & factis illustraret. Pro certo habebat omnem gubernationis rectæ successum in iis, qui præfunt, situm esse. Quamobrem & se ipse dignum munere suo præbere, ac multos deinde fingere ad gubernandi artem studuit. Porro nihil & sibi & illis prius potiusque volebat esse, quam ut ex Evangelio & ejus effatis peterent regendi normam: rectores qui secus facerent, prævaricatores appellans.

Quippe, dum hominibus placere magis quam Deo student, dum blandiuntur subditorum cupiditatibus, easque non comprimunt & sanant, sed fovent aut sopiunt; gravi detrimento & seipfos, & eos, quibus segniter imperant, afficiunt. Docebat hanc fuisse mentem S. Ignatii, quæ in scriptis ab eo Constitutionibus apparet, atque adeo in factis & vita. Constat enim illum hanc in Societate gubernanda viam sectatum esse, neque primariis etiam Patribus, ætate, fama, auctoritate claris pepercisse, quin eorum virtutem ab omni rerum infimarum amore, & proprii judicii voluntatisque velut scoria repurgaret. Ipse vero Aquaviva minus metuebat ne in eo prodiret ultra modum, quam ne citra consisteret: sapienter existimans religiosorum hominum præsidibus non tam cavendum esse ne quid committant, quam ne quid omittant. Neque enim tantum quæretur à nobis, inquietabatur, num detrimento quidpiam familia nostræ curæ credita ceperit; verum etiam num eos tulerit fructus, quos ex ea Pater-familias colligere, si majorem adhibuissimus diligentiam, potuerat.

Hujusmodi gubernationis, in speciem austeræ, vigorem humanitate præcipua & caritate condiebat. Ita singulos complectebatur, ut communem se parentem probaret esse, nulli certæ nationi peculiariter addictum. Itaque cavebat impense ne quid excideret sibi in sermone, quo gentis cuiuspiam notari vitium aliquod mosque videretur: imo si quis, audiente se, quidpiam ejusmodi attingeret inter confabulandum; vel abrumpebat sermonem pro imperio, vel silentio repentino, & contractæ frontis adscita severitate, dicentem officii admonebat. Neque tamen iste communis & sparsus in omnes amor benevolentiam, qua unumquemque veluti nominatim prosequeretur, minuebat. Nemini vel infimo clausus ad eum, aditus, vel aures, vel animus erat. In ejus, tanquam parentis optimi, sinum deponabant mærorem, arcana conscientiæ, & quidquid occurreret adversi. Valebatque in eo prisca illa & præclara vox, Neminem oportere tristem à Principio discedere. Illius aspectu, nutu, alloquio, velut benigni fideris asilatu, recreati ac sæpe lacrymis perfusi abibant. Singularem vero gerebat ægorum curam. Illos visebat frequens, ac ne quid iis deesset accuratissimè providebat. Nihil faciebat prius cum rediret peregrè, licet fessus de via, licet minus commoda uteretur valetudine, quam ut singulos adiret, consolaretur; & interdum periculoso propter contagem morbo laborantes, amantissimè complecteretur.

Haud minorem in eos, qui de ipso male essent meriti, benignitatem exprimebat. Vix enim fieri potest, ut qui Deo unicè cupit satisfacere, hominibus perinde omnibus, etiam probis, satisfaciatur. Quamvis enim illi Deum præcipuè; se ipsos interdum tamen & sua, cum Deo, quærunt. Exstant multa ejus eximie mansuetudinis exempla, præsertim adversus eos, qui ab errato ad frugem & officium se recipiebant. Tunc enim omnem delicti memoriam oblivione sempiterna delebat; & oblitteratam esse, beneficiis conferendis testabatur: Christi Domini videlicet memor, qui à discipulis desertus, negatus, proditus; non modo pristinam illis caritatem redivivus exhibuit; verum etiam cavet ne perfidiam illis duriore verbo exprobraret. Id Aquaviva cum imitabatur in sermone, tum in litteris quoque scribendis observabat: eosque admonebat identidem, quorum opera in epistolis exarandis utebatur, viderent etiam atque etiam ne qua vox minus considerata, vel acerbior justo, ipsis inter scribendum excideret. Si enim, aiebat, loquenti mihi vocem aliquam asperiore lingua velocior excusserit, est medicinæ præsentis locus: vocem amaram blandior persanabit; sed epistola si fecit plagam, curare nequit: infigere aculeum potest, refrigerare non potest.

Porro, quam erat in eos lenis, quos noxæ pœniteret, tam acrem & severum pervicacibus protervisque se præbebat; neque aut amicorum precibus, aut

36.

Ejusdem æqualis erga omnes amor: prudentia calliditatis expers.

patro-

patronorum dignitate, à deliberata maturè sententia deduci se patiebatur. Quos reprehendere cogebatur, eos rationum pondere adducebat ut faterentur merito se reprehendi: ac si cui callum aut indolis durities, aut mentis quidam stupor obduxisset, illum ita concutiebat, ut homini confessionem criminis, sæpe lacrymas, certe pudorem, exprimeret. Unum delicti genus erat in quo videbatur inexorabilis, quod spectat castimoniam: quam virtutem, utpote nostris ministeriis adedè necessariam, omninò illibatam, & omni non solum opprobrio, verum etiam suspitione turpi, volebat immunem esse: illam Hieronymi secutus vocem, *solum genus pietatis est, in hac re esse crudelem*. In ceteris delictis castigandis ita severitatem cum lenitate admiscebat, nemo ut spe lenitatis impune se peccaturum consideret; nemo severitatis metu veniam emendationemque desperaret. Hinc illud existeret, quod optare merito debent quicumque aliis præfunt, ut ab omnibus amaretur æquè ac timeretur. Timorem hunc & amorem omnium erga Præpositum Generalem mirificè adjuvabat ejus cognita sinceritas, planè simulationis expertus & artificii. Hanc sibi normam præstitebat & agendi & loquendi, nihil ut factum dictumve à se vellet, cujus ipsum pudere, si resciretur, posset. Hic agendi modus simplex & apertus oriebatur ex animi magnitudine, quæ astutia machinationes & captiunculas, tanquam infra se positas respuebat: ex ubertate consiliorum & copia, quibus cum abundaret optimis, nihil erat cur à calliditate deteriora mutaretur: demum è conscientia rectæ mentis, quæ planam virtutis viam semper insisteret, seque probis ac sapientibus satisfacturum consideret. In tractandis negotiis nihil eum retardabat, quominus ad metam diu multumque meditatam & destinatam rectà contenderet. In obicibus, quibus gràvia laborant negotia, prospiciendis vigilans; in amovendis cautus; in perrumpendis invictus. Nec defuere quibus idcirco videretur iudicii sui ac semel arreptæ sententiæ nimis tenax. Sed constantia in tuendo quod rectè deliberatum, & cum viris probis ac prudentibus, quorum iudicio Aquaviva plus tribuere quam suo consueverat, maturè constitutum est, speciem vulgò pertinaciæ ac nomen induit. Caruit ejus constans prudentia alio quodam navo, qui huic virtuti familiaris est. Magnanimus quippe, ut philosophi docent, conscientia virtutis, & innati roboris fiducia, vulgò elatus, prædens & contemptor inimicorum est. Aquaviva & sui modestissimus erat æstimator, & quamlibet infensissimos non solum amabat, sed etiam honorificè appellabat; neque Societatis adversarios dici à nostris inimicos patiebatur: opportunè subjiciens aliquod aliud verbum, quo illorum odia & insectationes excusaret. Nec mirum: quippe qui magnas ex illis capi utilitates arbitraretur. Existat ab eo scripta in hanc sententiam ad Socios epistola, ex qua perspicere licet quem colligi à nobis fructum ex adversis rebus vellet.

Porro quàm erat constans fortisque in ejusmodi tempestatibus excipiendis & ferendis, tam erat providus in antevertendis. Id autem ea maximè ratione consecuturum se putabat, si daret operam ut singula Societatis membra suo munere diligenter ac sanctè fungerentur, ut nihil haberet in nobis livor & malevolentia quod morderet. Hac mente proprias quasdam leges unicuique officio præscriptis epistolas ac libros hoc argumento exaravit bene multos. Et quoniam in studioli-
 terarum & concionibus tantum est momenti ad famam Societatis, quam ejus adversarii allatrare non cessant, hanc geminam nostrorum ministeriorum partem præ ceteris excoluit. De studiorum ratione atque ordine in Societate observandolibellum peculiarem confici, & identidem perpoliri iussit. Certos librorum qui à nostris edendi essent, censors Romæ constituit. Si qui majora quædam operamolirentur, quæ apud posteros crederentur victura, iis ut otium, scribentibus necessarium, & alia præsidia prolixè suppeditarent, efficiebat. Præcipuum etiam habuit honorem professoribus litterarum humaniorum, & dicendi magistris: inter quos si qui excelleret, satis id causæ voluit esse ut ad solennem votorum quatuor professionem admitterentur. Nec dubitabat in tanta negotiorum, quæ incumbebant illi, mole, orationibus, declamationibus, & disputationibus interesse; idque plures interdum horas, calidissima æstate, tempore alienissimo. Sæpe magistrorum lucubrationes lætans, non parca laude auctores munerabatur; eoque pacto

37.
 Cura litterarum
 in Societate: pie-
 tatis, & Missio-
 num.

paſto vel tardiffimis calcar addebat. Quamvis enim unam Dei gloriam ſpectare ſtudia noſtra debeant; non leviter tamen laborem ſtudentium conſolatur, ſi reſciant eum ab illis probari, quos tanquam Numinis interpretes & vicarios intuentur. Cum tanti liberales diſciplinæ ac profanam eloquentiam faceret, multo plus ſacræ facundia tribuebat. Caput autem artis in eo rebatur eſſe, ut voluntates auditorum efficaci oratione moverentur: cumque ad eum finem conſequendum momenti plus in virtute oratoris poſitum ſit, quàm in oratione; vehementer optabat ut noſtri concionatores in perfectæ vitæ ſtudio incumbere. Domeſticis exemplis oſtendebat multo plus ad homines à vitio revocandos valere virtutem, eximiam, cum mediocri junctam eloquentia; quam inſignem facundiam virtutem, mediocri comitatam. Imo, quorum exigua probitas eſſet aut dubia, licet in dicendo excellentes, ab hoc munere penitus amovebat: ac ſæpe deplorabat ſterilitatem animarum & cladem, ab iſtis frigidis & virtute leviter tinctis oratoribus importari ſolitam. Jam, quos & à ſanctiſſima, & ab arte inſtructos norat, illos ceteris ſolutos occupationibus, volebat huic uni dedere ſe: ac ferme vacuum ipſis annum concedebat, quo ſacras litteras, & Patrum priſca monumenta cognoscerent. Ab hoc enim duplici fonte arbitrabatur omnem perſuadendi vim, duci oportere: nonnullorum inſuſtatem ridere ſolitus, qui cum paratas habeant à ſummis viris & ab ipſo Deo dapes, quas Chriſtiana concioni nullo vel exiguo ſumptu dividant, neſcio quæ fercula malè condita, è ſuo deprompta penu, magno & inutili labore malunt apponere.

Obſervatum itidem illud fuit, nemini fere juniore mandato ab eo concionandi munus fuiſſe. Aiebat enim iſtos judicii maturitate, quam ætas affert, vulgo eſſe deſtitutos: itaque raptim quodcumque occurrit, chartis illinere, male digeſtum, nec ſatis decoctum. Porro conciones ſemel compoſitas non facile mutari, laboris tædio, quod accreſcit cum ætate. Præterea verò, juniores adamare plus æquo floridum & calamiſtratam ſcribendi genus: quod eſt eloquentiæ ſacræ cum primis inimicum. In delectu argumentorum & probationum præcipuam oratoris prudentis curam artemque reponebat, ut reſectis levioribus, eas urgere atque inculcare laboraret, quæ majoris apud auditores ponderis futura viderentur.

Ad hunc modum cetera Societatis miniſteria privatis quibuſdam præceptis inſtruxit; cumque ratio & ars tradendi Exercitia Spiritualia maxime propria Societatis noſtræ ſit, hanc ſingulari commentario illuſtrandam & dirigendam curavit. Ad hæc Sanctiſſimæ Dei Matris cultum valde amplificavit, inſtitutis ubique ſodalitiis, & ad omne hominum genus accommodatis, fructu animarum incredibili. Propagavit utiliſſimas horarum quadraginta comprecationes, quibus Bacchanaliorum licentia majorem in modum eſt reſpreſſa: operam dedit ut conciones haberentur de Chriſti cruciatibus in Romana Profeſſorum domo qualibet feria, quinta Quadrageſimæ; itemque aliæ per dies octo poſt feſtum corporis Chriſti. Poſtremò deſignavit in collegiis domibuſque vel remotiſſimis aliquos è noſtris prudentia & probitate præſtantes, quorum litteris certior fieret quid in iis, ubi degerent, oppidis ac regionibus, ad ſalutem animarum & Dei gloriam poſſet ſuſcipi perſicque; quid emendari & reſtitui. Hoc vero maxime providebat in longinquis Miſſionibus, quarum labores & progressus omni ope adjuvabat. Cum de Anglica Miſſione inſtituenda principio ageretur, anxioſi incertoſque Patres ad rem ſuſcipiendam accendit, & ſe primum, qui expeditionis difficillimæ adiret aleam, obtulit. Poſtea non deſtitit ſtrenuos ſubmittere operarios, qui rem Chriſtianam inter hoſtium inſidias carnificumque ſupplicia fortiter defenderent: cumque ad Societatis gubernacula vocatus, paucos è noſtris in Anglia, extra Angliam verò pauciſſimos huic addiſtos Miſſioni reperiſſet; moriens amplius ſexaginta in eadem Anglia, extra illam centum circiter & quadraginta, ejuſdem Anglicæ vineæ cultores reliquit, quibus duo domicilia in Belgio collocavit: præter Seminaria quamplurima erudiendis externis adoleſcentibus & facerdotibus Anglis, fundata: quibus & optimas deſcripſit leges, & pacem concordiamque artibus hæreticorum turbatam ſæpe reſtituit: adeo ut Anglicanæ Miſſionis patronus ac pæne parens dici poſſit. Nec minus ipſi debent aliæ Miſſiones. Societatem in inſulis Creta, Meli-

ta, Chio; in urbe imperii Turcici primaria, retinere studuit: eandem in Molucis, in Æthiopia, in India, Mogolisque imperio, licet gravissimis agitatam periculis, licet in sterili sæpe sudantem solo, nihilominus instare operi, & majores periculis ac laboribus animos offerre jussit. Oppressam in Japonia religionem erexit omni ope; surgentem in Sina promovit; oppugnatam in Hungaria, Transilvania, & Moldavia, propugnavit.

38.

Ejus caritas in Deum. Orandi piè ac sacrificandi studium.

* Et Lib. X. hujus V. Partis num. 15.

* II. Petr. 1.

* Ad Rom. XII.

* Jerem. 31.

Nempe divinus amor Aquavivam dies noctesque urgebat, cogitantem quoniam pacto responderet divinis in se beneficiis, animosque mortalium studio summi sempiternique boni accenderet. Sacræ caritatis ignem fovebat oratione crebra, tanquam nativo pabulo, ac mentem domitis perturbationibus tranquillam, & amputatis infimarum rerum oblectamentis sinceram, velut idoneum cœlesti flammæ concipiendæ fomitem subjiciebat. Quam usurpari à nostris hominibus cuperet orandi exercitationem; qui contemplationis modus Societati conveniat; declaratur in epistola quam de hoc argumento scripsit*. Illi hæc maximè precandi ratio probabatur, quæ alendis virtutum solidarum fructibus servit: non aliâ quâdam, ut nonnullis videtur, sublimis; certè periculosa. Plana & militaris via, ut securior, ita fere brevior est. Calles reducti, & à paucis triti, insidiis & erroribus opportuni sunt. Idque recenti exemplo & domestico habebat exploratum. Unus è nostris, vir cetera gravis & probus, nescio cujus femina insigniter, ut erat fama, piæ consiliis plus justo credulus, novam gubernandæ Societatis formam & laudabat ipse, & aliis quibusdam persuaferat. Claudius conscriptis à S. Ignatio Constitutionibus, & à sede Apostolica toties approbatis inhærens, Apostolorum Principis voces opponebat: *Habemus firmiorem propheticum sermonem**. Instabant contra nonnulli, & graviter de Præposito Generali querebantur, qui Deo per famulam suam loquenti fidem abrogaret. Eo res evasit ut istorum antesignanus Romam accesserit, sua somnia Pontifici Maximo narraturus. Aquaviva ratus anteverendum, adit Clementem VIII. Quid agatur, exponit. Pontifex à Bel-larmino de inanitate reformatoris certior factus, cum ut abstereret incœpto, ac tritis majorum vestigiis insisteret, monendum curavit: veniâ, si resipisceret propositâ; poenâ, si repugnaret. Paruit, seque totum permisit Aquavivæ, qui eandem mulierem, (nam ipsa quoque in Urbem, ut negotium promoveret, venerat) gravi oratione deterruit, ac *sapere porro ad sobrietatem** docuit.

Sic nostros ab istis itineribus deviis abductos, in directa mortificationis, obedientiæ, humilitatis, fraternæ caritatis, via consistere volebat: in qua quicumque constanter ac sedulo procedit, brevi ad perfecti amoris metam, qui virtutis humanæ finis & cumulus est, perveniet; aptumque donis majoribus ac bene præparatum pectus afferet, si hominem altius evehere Deo liberit. Illud etiam orationis veluti perpetuæ genus commendabat Aquaviva, quod S. Ignatio familiarissimum fuisse traditur, ut in singulis creatis rebus Creatoris potentiam, sapientiam & bonitatem intueremur; eoque aspectu excitati, confestim in ejus cogitationem amoremque raperemur. Negabat verò id operosum unquam illi fore, qui se à Deo *perpetuâ caritate diligi**, & summis ad singula momenta beneficiis affici cogitaret; ac vicissim eniteretur, ne qua in re vel minima, quantum fragilitas humana fert, tam liberali, tam potenti, amico parentique displiceret. Hoc ut facilius consequeretur ipse, diligenter cavebat, ne qua perturbatione animi, aut præpostera sollicitudine animum implicaret: commodabat se negotiis, non dabat. Hinc expeditus & alacer accedebat ad precationem; non eam tantum quæ mente peragitur, sed, quæ voce: præsertim si quo imposta præcepto foret. Itaque preces à sacerdotibus persolvi solitas mirum est quàm sui compos, quam attentè ac modestè perlegeret. Non propter, & à negotiorum adhuc æstu ardens, sed interposito spatio, aggrediebatur ad eas recitandas: quid esset acturus, quicum locuturus, serio secum reputans; & appositis, quas in eam rem habebat promptas, orationculis attollens mentem accendensque. Induebat illum ipsum, quem cujusque psalmi verba præferunt affectum, nunc supplicantis, nunc agentis gratias; modo poenitentis; modo laudes divinas celebrantis; desiderantis Servatorem, ejus mysteria, gloriam, Ecclesiam, prædicantis. Certa etiam sibi præstituebat intervalla, ubi, dato veluti ad

ad colligendum animum signo, interquiesceret: nec raro semel iterumque versiculos aliquot repetebat, ubi plus inerat saporis ad pietatem: qua cœlesti voluptate perfusus inardescere, exilire gaudio, triumphare, videbatur. His precibus locos è sacra Scriptura depromptos bene multos, quasi clausulam pensæ sacerdotalis, adungebat; solitus dicere longum illud non videri, nisi festinantibus.

Haud segnius ad sacrificium celebrandum se comparabat. Ejus dignitatem, vim, fines, attentissimè ac sapissimè contemplatus, ita sibi persuaserat, nihil ab homine mortali divinius in terris fieri posse. Hac imbutus cogitatione, & religioso tanti mysterii horrore perculsus, omnem negotiorum tractationem, paulo ante quam faceret, deponere penitus: deinde partim meditando, partim precationem benè longam, à se confectam è SS. Patrum scriptis huc spectantibus, percurrendo, sacrum ignem, quo absumi victima cœlestis gaudet, concipere nitebatur. In incessu ad aram procedentis, in habitu toto ad eam modestissimè consistentis, elucebat animus in tanti operis acerrima defixus meditatione; & è singularum significatione vocum velut exprimens pietatis succum, quo suavissimè pasciebatur. Ac mirari certè licet, quo fieri pacto potuerit ut in tanta tot negotiorum varietate, ac difficultate, non modo liberam & expeditam servaret mentem, sed melleo quasi sapore caritatis imbutam, cui nihil è molestiarum occupationum felle adhæresceret. In quo tamen valuisse plurimum bonitatem ejus indolis, & innatum pectoris robur non inficior; haud parum tamen sedulitate ac studio profecerat. Sacros codices evolvebat diligenter, nec non illa Sanctorum Patrum volumina, in quibus impressa cernitur illustrius vel religionis majestas, vel suavitas virtutis: cujusmodi sunt inter Græcos Dionysius, Basilus, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus. Inter Latinos, præter Ambrosium, Augustinum, & Gregorium Magnum, Cassiano, Cypriano, & Leone, plurimum delectabatur; itemque Bernardo ac similibus, qui dulci pabulo famem rerum spiritualium, & velut appetentiam, acuunt. Huic studio matutinas dierum festorum horas, nisi quid instaret rei gravioris, tribuebat, ceteris curis valere jussis: eodem subsecivi temporis particulas occupabat: neque gravabatur exscribere locos integros, quibus ad meditandum, ad excitandam pietatem, & levanda negotiorum tædia, uteretur.

Nullos vero seligebat cupidius, ac mandabat memoriæ, quàm qui de Christo Domino essent conscripti. Hunc amore suavissimè complectebatur: illius mysteria, dignitatem, immortalia in humanum genus merita diu noctuque recolebat. Varia ejus nomina & officia collegerat ex Apostoli Pauli epistolis, quibus eam ob causam valdè afficiebatur. Columnam cui Christus alligatus, dum caderetur, fuit; & alia ejusdem cruciatuum monumenta, quæ in Urbe servantur, visitabat frequens, adorabatque læticia incredibili. Divinum Sacramentum singulis horis brevi precatione venerabatur, gratias agens, & simul aliquid beneficii postulans.

Pietatem erga Beatissimam Virginem nostris hominibus impensè commendare consueverat. *Velim*, inquit in sua quadam ad Patres Societatis epistola *, *in omnibus rebus ac temporibus, sive publicis Societatis, sive propriis singulorum, præstanti quadam veneratione ac singulari fiducia, qua nullam vereatur repulsam, ad hoc laborum omnium ac sollicitudinum perfugium supplices accurramus Certe sive spectemus Deipara Virginis dignitatem, auctore Deo in tam illustri excelsoque loco sitam; sive beneficiorum illius in nos magnitudinem; sive inopiam ac mendicitatem nostram: hæc omnia quam maximas à nobis & honoris & amoris significatio- nes erga cœlestem hanc præsidem & custodem nostræ salutis exposcunt.* Neque vero secus faciebat ipse, atque alios hortabatur. In ejus fidem & clientelam se sua- que omnia sæpe conferebat, ac præcipue Societatem sibi traditam: nunquam rem divinam faciebat, quin D. Bernardi precationem hanc adhiberet ad B. Virginem: *Per te accessum habeamus ad filium, ò benedicta inventrix gratia, &c.* Liberianam basilicam omnibus ferè sabbathis adibat: sodalitia Deiparæ ut numero ac studio pietatis florenter dabat operam: diem XVII. Kal. Octobr. octavum à Deiparæ natali, quo ipse, anno MDXLIII. natus erat, singulari colebat religione: nihil denique prætermittebat, quo illam demereri posset: tanto se gratiorem Filio fu- turum existimans, quanto studiosior Matris foret.

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

Vuuuu

Quam-

39.

Amor in Christi-
sum & B. Virgi-
nem. Religiose
vocationis sus-
tenta cura.

* De perfectione
& caritate fra-
terna, sub finem.

Quamlibet actionem idonea prece veluti consecrabat. Cum in urbem, cum-
 rus aut peregrè prodiret, levabat via laborem refricandis tacita mente, aut reci-
 tandis sacrorum Bibliorum sanctorumve Patrum, quos collegerat, quos memoria
 tenebat, illustrioribus locis. Ne ipsum quidem datum relaxando post sumptum
 cibum animo tempus vacare studio pietatis patiebatur: nec raro injiciebat in ser-
 monem nodum aliquem sacræ paginæ difficiliorem, de quo sententias nostrorum,
 qui aderant, sciscitabatur; eas comiter, ac de industria impugnans; libros etiam
 adduci, si res ferret, ipsosque consuli fontes jubens. Inter cetera Dei dona, quæ
 grata & memori mente recolebat, beneficium religiosæ vocationis præcipuum
 obtinebat locum, in eoque argumento copiosus & eloquens erat. Religiosis ho-
 minibus volebat esse persuasum, ipsos multo plus à Deo accepisse, quam Deo
 dedisse. Illos etiam hortabatur ut clarissimam Fidei, & rationum æternarum lu-
 cem, in quæ rerum humanarum & bonorum inanitatem olim perspexerant, assi-
 duè spectarent; neque illam sinerent cupiditatum & perturbationum obscurari fumo,
 vel extinguere vitiorum sordibus. Ac proinde haberent semper in promptu voces
 Evangelicas, quibus in judicando uterentur: quæ, verbi gratia, docent honorem
 verum in ejus contemptu, opes in paupertate, felicitatem in labore, pacem in geren-
 do cum turbidis animi motibus bello consistere. His maxime rationibus nonnullos
 in religiosæ vitæ proposito nutantes confirmavit: unum in primis, qui usque eò
 exarserat capitali adversus alium odio, ut negaret se in eadem domo, ac ne in
 Societate quidem versari cum illo posse. Quem Aquaviva blandè complectens,
 Ergone, inquit, ò bone, vocatio ad vitam religiosam nostra, & salus in homi-
 nis unius manu posita est? Quid ille vero tibi, si te perditum malè velit; quid
 conjuratus tuum in exitium Tartarus inferre plus damni potest, quam quod ipse
 in tuum struis caput, obsequio Dei abdicato, & violata quam Superis dedisti
 fide? His verbis discussæ tenebræ, quas impotens cupiditas offuderat; impetus
 animi paulatim in gyrum rationis pietatisque revocatus. Ab aliis interdum percon-
 tabatur num vitam religiosam temere ac subito arripuissent. Illis vero affirmantibus
 diu multumque secum reputasse negotii gravitatem, ac divinum lumen sedulo
 implorasse; subjiciebat, Tantumne igitur temporis & curæ adhibuisti in susci-
 piendo vitæ genere, quod profecto plenum dignitatis ac pietatis est; tot preci-
 bus divinam voluntatem explorastis; nuac illam exploratam cognitamque leviter
 abjicitis? tam facile sanctius institutum, tanto petitum ambitu, tot impensis par-
 tum, deponitis? state paulisper, deliberate, orate. Sic spatium ab iis impe-
 trabat, quo interposito, defervescebat perturbationis æstus, & rationi gratiæque
 locum dabat. Omnibus vero universè præcipiebat, ut caverent diligenter ne
 perversam naturæ deterioris indolem à seculi pravitate hausitam, tegeant reli-
 giosa veste; neve mutatis duntaxat rebus, & quasi materia, eosdem vitiosos af-
 fectus retinerent, & commodorum honorumque, licet alterius generis & modi,
 umbras perinde inanes, imo vacuas magis futilesque, captarent. Hædera, si pa-
 latis templisque non potest, tuguriis æquè ac mapalibus adhaerescit.

40.

Studium pœni-
 tentiæ ac mor-
 tificationis: hu-
 militas, patien-
 tia.

Quam religiosæ vitæ mortificationem & abnegationem Aquaviva suadebat
 verbo, hanc docebat vitâ. Unus è nostris Fratribus, qui gerebat curam ejus
 valetudinis senio ingravescente, sapius querebatur, quòd ferri juberet ad Socios
 domi ægotantes, si quid ipsi apponebatur obsonii lautioris, aut foris pauperibus
 erogari; ac demum quidquid esset in omnibus deterrimum eligeret. Quamvis
 alios, justa de causa, non difficile solveret jejunii lege, ab illa tamen ipse non
 facile discedebat. Inter ceteras artes tuendæ castitatis, hanc duriter tractandi cor-
 poris, ejusque, vel in minimis rebus, domandi censebat esse non minimam: si-
 quidem à levibus licitisque voluptatibus facilis est prolapsio ad graviores & illi-
 citas. Pulcherrimam hanc virtutem à Virginum Regina non sibi tantum, sed toti
 Societati enixè precabatur: membra vitiata, immisericorditer à reliquo reseca-
 bat corpore: gravi & perpetua lege sanxit, ne nostri homines aut docerent, aut
 significarent sibi placere sententiam eorum, qui tradunt levitati materia in eo ge-
 nere delicti locum esse. Ne istos quidem ferebat conuitorum, qui amorem di-
 vinum liberiore stilo ac pæne profano describunt: venienteque ne in lucem eederetur

commentarius, à theologo Societatis compositus in Canticum Canticorum, licet eruditione multa refertus: quia plerisque poetarum non ita castorum locis adductis, sacram paginam explanabat, an potius conspurcabat? Eodem laborare censebat vitio lucubrations, vincta numeris aut soluta oratione scriptas, quæ in laudanda Beatissima Virgine, celebrandisve Christi mysteriis, flosculos è Veneris & Adonidis horto collectos, in Christum ejusque Matrem purissimam congererent.

Alterum tuenda inter tot insidias ac pericula castimoniam præsidium est germana humilitas. Hæc in Aquaviva tanto insignior existit; quanto ejus virtus erat conspectior. Cum primum Deo se totum in Societate devovit, plurimum temporis operæque posuit in ea regula Summarii Constitutionum meditanda, sibi que penitus in animo desigenda, quæ nos in Dei conspectu considerare diligenter & attentè jubet, quanti nostra referat *abhorre omnino & non ex parte ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur... ut quemadmodum mundani homines diligunt & querunt magna cum diligentia honores, famam & magni nominis existimationem in terra... sic amemus & ardentè exoptemus quæ iis omnino contraria sunt, &c.* Hanc legem, in quinque capita, quæ meditaretur identidem, diviserat. Servi personam in Dei familia mentemque induebat, ac secum ita sæpe: *Quid, inquit, animi esset mancipio, quod herus locuples domi suæ receptum ad eandem cum liberis suis mensam adhiberet; cui faceret spem ad eundem una cum illis, & dividendæ hereditatis; quem iisdem erudiendum in præstanti schola magistris traderet? Quis vilissimo capiti non jure succenseret, si conditionis immemor suæ, filios heriles contemneret; si se illis non equipararet modo, sed anteferreret? Quid, si judicium suum interponeret in ea quæ domi sunt? si illa mutare arbitrato suo, diffingere, reprehendere audeat?* Istas psalmi XLII. voces, *Ab homine iniquo & dolo crue me*, tribuebat sibi: hunc hominem iniquum esse se dicitans, à cujus insidiis & improbitate sibi unice cavendum esset. Fidele probumque consilium, à quocumque subministratum foret, amplectebatur: contra ac plerique faciunt, qui, nisi quod à se ortum sit, nihil probant. Munus regendæ Societatis & accepit ægrè, ac sæpe deponere tentavit, obedientiæ humilitatisque studio. Id consequi cum nequiret, saltem, quod erat proximum, fecit, ut honoris impositi onera omnia subiret, ac summo Pontifici, difficillimis in rebus, ut in loco narratum est, ad levissimum nutum dicto audiens esset.

Animi demissionem, virtutesque ceteras nihil æquè commendat ac patientia*. Hinc ingens in magnorum negotiorum administratione locus est: ubi cum ingeniis hominum tantopere dissimilibus, cumque illorum cupiditatibus, sæpe molestis & occultis, si non semper flagitiosis & apertis, dimicandum; ubi acerbitates multarum domi forisque devorandæ. Aquavivam nullæ difficultates, nulli casus adversi & inexpectati de serenæ ac tranquillæ mentis æquabili statu dimovebant. Hujus, quam Christiana patientia sola dat, pacis exempla passim edidit insignia. Unum hic proferam. Cum Neapolitanam provinciam regeret, coactus fuerat appetente nocte consistere in quodam loco, ubi ædicula, & juxtà sacerdotis domus. Hunc rogavit, sibi ut liceret reliquam noctem transigere in ipsius ædibus; cum nulla suppeteret alia domus. Negavit sacerdos vacuum apud se locum ullum esse. Instat Aquaviva, & rectè duntaxat copiam, vel in stabulo, petit: nam utebatur ægra valetudine, ita ut neque sub dio pernoctare, neque pergere ulterius, sine gravi periculo, posset. Ea ratione permotus denique hospes difficilis clavim stabuli concedit, quod jumento jam occupatum & prope plenum erat. Ibi noctem exegit Claudius, impastus, defatigatus, afflictus febri; quæ non parum ab angustiis loci & squalore increverat.

Mane summo, rei divinæ, antequam repeteret iter, faciendæ opportunitatem captans, sacerdotem suscitavit, ut recluderet aditum sacelli, & sacrum instrumentum expediret. Ille somnum abruptum suum dolens, respondet nondum lucefcere. Orto demùm sole descendit, & Aquavivam ante fores ædiculæ precantem introducit. Conspicatus sacrificantem paulo attentius, agnoscit Claudium Aquavivam, illum ipsum, à quo Pontificii olim cubiculi præfecto Ecclesiasticum hoc beneficium, cujus fructibus sustentabatur, acceperat: fratrem Ducis Adriæ, Patroni sui, cujus in ditione sacellum hoc erat. Tum vero exterritus & amens projecit se ad ejus

Vuuuu 2 pedes

* Summar. Constit. Reg. XI.

* Verum humanam patientiam ostendit. Hier. Epist. 27.

pedes post peractum sacrificium; culpam confitetur multo cum fetu; & precatur veniam. Cui Christi famulus & imitator, Bono animo sis, inquit: apponamus lucro, ego quantum molestiae hac nocte tuli, tu quantum mihi boni contulisti. Si me statim agnovisses, excepisses majore apparatu; at minori forte apud Deum merito; nunc, ut Dei servum, licet in stabulo, accepisti: nec te frustrabitur merces illis parata, qui dederint in nomine Christi vel *calicem aquae frigidae**, nec eris apud me postea minoris, qui ejusmodi incommoda in maximis commodis & beneficiis numero.

* *Matth. 10.*

41.

Alienae calamitatis sublevandae cura. Opinio publica de illius excellenti virtute.

* *Leg. Lib. XVI. num. 2.3.*

Ab iisdem fontibus manabat ejusdem mira in omnes, ac praesertim calamitosos, benignitas. Quidquid ipsi nummorum veniebat in manus, quidquid munerum, id omne largiebatur egentibus. Nobilis amicus moriens aureum illi torquem cum aurea pariter effigie Christi Crucifixi donaverat, amicitiae pignus ac monumentum. Aquaviva redactam è torque statim vendito pecuniam pauperibus, in gratiam amici demortui, divisit. Si deerat aliquando quod daret, non dubitabat corrogare quasi stipem à familiaribus: & saepe, unde minus sperabatur, in finem veluti sponte defluebat. Sic puellam Tiburтинam nubilem ab egestate summa periclitari cum audivisset, ejus continuo patrem arcessivit, filiae pudicitiam ei diligenter commendans; & effecturum se pollicitus ut primo quoque tempore honestum in matrimonium collocaretur. Hora vix abierat, adest à Cardinali Sanctae Caeciliae famulus, cum aureis quinque & quadraginta, quos arbitrio suo dispensaret: iisque confestim collocata puella est. Neque in publicis calamitatibus levandis erat segnior, quam in privatis. Argumento est annus MDXCI. cum lues famelique per Italiam grassabantur*. Quibus ille tum studiis, qua sedulitate per se suosque saluti miserorum commodisque consuluit! ut operosam caritatem per omnes Italiae civitates effudit! nostros cohortando ut ne impensis curisque parcerent, seque publicae incolumitati natos meminissent. Cum aedes sacra S. Vitalis addicta fuit in perpetuum domui Probationis, constituit ut singulis hebdomadis in ea doctrinam Christianam egenti ac desidiōsa plebi tirones explicarent: id quod in eadem Probationis domo etiamnum feria qualibet sexta usurpatur & viget. Distribuitur numerosa plebs catervatim: suum caterva quaelibet tironem ac magistrum audit. Additur spiritali cœlestis doctrinae pabulo eleemosyna, vitumque dividitur abeuntibus, quo libentius hac illecesta conveniant. Ejusdem erga miseros caritatis exercendae datus est non ita multo post Aquavivae insignis locus. Cum a Quirinali monte domum vespere se referret, tristis gemitus ad aures accidit è vicino angiportu. Subit propius. Videt mulierem lepris turpibus coopertam; rogat cur sic humi & quamdudum jaceat. Illa; Mori cogor hic ab omnibus destituta, exclusa nosocomiis, propter morbi fedtatem & contagii metum. Continuo duos è nostris dimittit, qui concurrerent urbem, ac locum, ubi agra consistat, requirant. Lustrant omnia nosocomia; nullum est repertum, ubi morbis ejusmodi receptus esset. An tamen istam sic jacere ac mori patiemur? inquit: & proximas domos circumit ostiatim, angulum ubi misera mori possit, orans. Demum anus paupercula tugurii particulam obtulit. Huc inferri culcitam, lodicem, cibos, Aquaviva jubet. Mirata civitas viri caritatem, certatim in tugurium congescit quidquid agram, quidquid aniculae familiam, beare poterat. Saera Deo virgines, quibus à Sancta Martha nomen, inter quas erat Paula Farnesia, neptis Aquavivae, lintea, subuculas, cupedia, & alia morborum levamina largiter adjecerunt. Mulier interim moritur, & pia ejus hospita lepram, caritatis primum, contraxit. Hanc vero Praepositus Generalis non destituit: nec solum dedit operam ut rebus omnibus ad morbum depellendum idoneis abundaret; sed praeterea egit cum Cardinali Cinthio, ut in Urbe locus ejusmodi morbis & receptandis & curandis non deesset. Convaluit anus; ejusque, dum vixit, curam Societas, jubente Praeposito Generali, gessit. Multo plures memorantur, quorum animis certum in exitum ruentibus Claudii caritas in tempore succurrit; praesertim ubi pudicitiae amittendae periculum ostendebatur, aut sicubi bonae indolis pueros à litteris egestas domestica prohibebat. Quibus incommodis ut antistites obviam irent optabat vehementer, & hanc maxime propriam sui muneris curam esse

esse intelligerent. His in virtutibus vitam, publicæ devotam utilitati, usque ad annum ætatis LXXII. sexque fere menses produxit, cum Societatem gubernasset annis XXXIV. diebus viginti demptis. Non pauca de illo prædicantur, quæ sanctitatem eximiam declarant; morbi graves aliqua vestium ejus parte languentibus admota sanati: pericula, invocato post obitum nomine, depulsa: monstrata divinitus doctis ac prudentibus hominibus insignis ejusdem in cœlo gloria. Quæ omnia locupletibus & juratis legitimè testibus comperta servantur. Vel ipsum ejus funus ostendit quam præclara & publica esset opinio de illius excellenti virtute. Ædes amplissima Romanæ domus multitudini ad exequias undique concurrenti angusta fuit. Cardinales cum præsulibus plurimis, ac principibus viris & feminis adfuerunt. Audiebantur toto templo voces ejus virtutem prædicantium; tum vero gemitus pauperum, sibi patrem ac patronum periisse lamentantium. Sub noctem deportatum est corpus in sacrarium, ut Cardinalium aliquot, procerumque votis, propius intueri ac manus deosculari cupientium, satisficeret. Sed referendum post paulo in ædem fuit, ut populo tumultuanti mos gereretur: tantisque partim pia manibus oscula figentium, partim rosaria fere-tro admoventium, concursus existit, ut ante horam noctis tertiam excludi multitudo nequiverit.

Romanæ domus de sui parentis obitu merorem cumulatit interitus Patris Fabii de Fabiis, viri cum Aquaviva & morum & virtutum similitudine conjunctissimi. Modus ipse mortis ipsa prope morte tristior existit. Domo progressus erat, ut viseret religionis causâ basilicam D. Pauli, via Ostiensi. Jacebat in eadem via taurus, quem bubulci fessum, multisque affectum verberibus, quia sequi armentum non poterat, destituerant, avehendum postea commodius. Præteriens molossus jacentem belluam latratu & saevo dente fatigabat. Accessit Fabius, & protervum canem pallio abigere conatus est. Taurus aspectu pallii ob oculos jactati, tanquam novo periculo conterritus animum roborque colligit, & exurgens repente, defensorem suum nihil tale metuentem petit, exceptumque cornibus illidit solo, & crus dextrum dilacerat. Ad primum bellæ velut reviviscentis, quam omnes ut brevi morituram otiosi circumstant, impetum, pro se quisque, qua metus asylum ostendebat, fugit, præter Fabii socium, qui sui periculi immemor tandiu Patri additit, dum turbæ procul stantis clamore, ac penè conviciis abactus, cum remedii nihil occurreret, sibi in stare furiosam pecudem cerneret, paulum se removit.

Taurus, hoste dejecto ferox, provolutum in cœnosâ viâ Fabium circumibat demisso capite, horrendum in modum mugiens, & nova vulnere meditans. Repressus est ille quidem aliquantulum glandibus plumbeis in eum coniectis, sed è longinquo, nec satis certo ictu, in tanta trepidatione. Nemini dubium erat quin mitissimum senem aut cornu sapius incusso mactaturus esset, aut ipsa corporis mole oppressurus, nisi accurrens Michael Perettus, Venastii Princeps, qui venatum forte illac ibat, ferreas majores fistulas expediri, & globis certioribus immitem belluam à famulis sterni jussisset. Tum vero soluti metu omnes accurrunt; semianimum sublevant Fabium, ac domum nostram deportant, gratias agentem Numini, quòd infortunium hoc sibi potius quàm prætereuntium cuiquam obvenisset. Eandem vultus animique immobilis constantiam præ se tulit inter chirurgorum manus, qui vulnus unum multis vulneribus curabant; & morte, ut ita dicam, multiplici unam si non arcere penitus, at differre laborabant. Musculus cruris foede disruptus augebat doloris acerbiter, ut anima ægrum sæpe deficeret: nec serenitas tamen suum animique pax deficiebat. Nemo non cohorrescebat, cum igne ferroque adhiberetur medicina malo atrocior, & nihil à gravissimo supplicio discrepans, nisi spe salutis. Ipse gemitum edebat nullum aut signum doloris; ac ne vultum quidem mutare visus est. Tranfactus feliciter dies septimus, penes quem vulgo arbitrium gravioris morbi & fatum est, omnium animos affectit incredibili gaudio, sed brevissimo: nam postera lux tristem contractis nervis ostendit plagam, & à medicis desperata salus est. Ergo, cum remedii nihil pollicerentur humana præsidia, recurrere placuit ad divina.

Romam

S. XX.
P. FABIIUS DE
FABIIS.

42.
Supremi ejus
morbi & mortis
ocasio luctuosa.

* §. VIII.

Romam per eos dies ex India deportatum fuerat S. Francisci Xaverii brachium dextrum, ut Libro XV. memoravimus*. Patres, quibus cara Fabii salus erat, minime dubitabant quin Xaverius, in hominis tam bene de tota Societate meriti gratiam, libenter explicaret summam illam patrandi miracula facultatem, quæ illi Thaumaturgi nomen illustre peperit; ac virtutem sacri pignoris recens adducti, novo quodam prodigio cælum testaretur. Hac spe læti rogant egrotum enixè ut fracto cruri salutare brachium applicari patiatur; simulque pia voti nuncupatione vitam redimat, Xaverio sequestro & deprecatore, si vitæ auctor annuat. Quibus Fabius, Vita hæc, ait, tanti non est, ut miraculo conservandam putem, & à communi Providentiâ discedendum. Huic uni permittatur exitus morbi, a qua initium profectum est. Dixit, compositisque negotiis aliquot, ipsius curæ ac fidei nuper ab Aquaviva commissis, perceptis rite sacramentis, & recitata Fidei catholicæ confessione, quam hunc in usum antea confecerat, spiritum suo creatori placidè redonavit, pridie Idus Novembr. anno post quarto & septuagesimo quàm illum acceperat, cum quadraginta novem annos in Societate vixisset.

43.
Ejus in vita
communi non
communis vir-
tus: humilitas,
mortificatio, &c.

Ab ipsis prope incunabilis maturus, & pæne senex, nihil pueritiæ habuit, præter ætatem. Hanc à parentibus optimè institutam in Societatem attulit, perque omnes deinde virtutum gradus ad eam promovit absolutionem religiosæ perfectionis, ut faterentur omnes nihil in eo esse non singulare, quamvis singulare nihil præ se ferret. Mirabantur sollertiam hominis in honore declinando, dexteritatem in arcessendo contemptu sui: cujus non paucas occasiones illi præbebat staturæ humilitas, & corporis male contractus informisq; modus; ut qui sæpe illum inviserent negotii aut officii causa, præsentem præterirent: ac nequaquam illum esse, quem quærent, Fabium suspicati, ipsum ab ipsomet seiscitarentur: aut in ejus socium, cum prodiret, honorem omnem officiosæ in congressu primo urbanitatis effunderent. Observatumque est non semel ejusmodi comites ab eo fuisse lectos, qui proceritate corporis ac dignitate conspicui, nonnullam ipsius deformitatem, ipsa comparatione, redderent notioerem. Quo tempore habita est quinta Generalis Congregatio, Vice-Præpositi, ut loquimur, gerebat munus in Romana Professorum domo. Patres è remotis provinciis subeuntes ipse primus excipiebat; sua cuique dispensabat cubicula; pedes albebat; mandata singulorum nec pauca nec levia exequabatur. Illi, cum strenuum hominem, agendi quam loquendi, ut videbatur, peritioerem, nec ceteroqui forma admodum liberali, accedentem ad se se frequenter, ac nunquid curatum vellent benignè rogitantem cernerent; rati laicum operæ domesticæ ministrum, multa illi minuta & abjecta prolixè injungebant; quæ Fabius, contemptu sui fruens, obibat sedulo: donec, aut aliorum admonitu, aut progressu temporis, edocti quis esset, quem ita familiariter & contemptim adhibuissent, peterent errati veniam. At ille blando vultu risuque istos dimittens, ad alios, quibus ignotus esset, se conferebat. Cognationem & affinitatem, quæ ipsi cum plerisque Romæ proceribus intercedebat, tanquam rem alienam videbatur oblitus; ejusque mentionem, ab aliis factam, dissimulatione & negligentia declinabat. Nunquam res à se gestas usurpabat in sermone, id quod viri grandes natu, & in rebus gerendis versati, sæpe ac libenter faciunt, dum superioris vitæ memoriam læti reficant, & inde imitanda junioribus exempla promunt. Nunquam documenta vitæ sanctioris, ex interiore pietatis quasi penu deprompta, quibus nonnulli se commendant, proferebat; in occultanda virtute haud minus, quam in colenda, diligens. Assidua sui victoria id affectus erat, ut fractæ domitæque cupiditates nihil intestini tumultus ac dissidii molirentur. Improvisos casus, summa capitis etiam ac vitæ pericula, eodem animo spectabat ac vultu. Cum loqueretur, videbat magis quid taceret, quam quid diceret; eratque communis hæc opinio, ejus sermoni ut nihil detrahi, sic nihil addi posse. Reliquos corporis sensus acri virtutis rationisque freno continebat, tanquam perduelles famulos, & in scelus, si daretur facultas, erupturos. Potionis erat cibique permodici: dixisses illum pascei jejuniis: quod ipsum tamen obtegebat dissimulatione scitissima.

Eundem vivam ac spirantem Societatis legem omnes appellabant. Quippe jam

jam inde à primo in Societatem ingressu, caput & summam veræ sanctitatis, uti est, collocaverat in legum nostrarum vel levissimis apicibus observandis. Pari singulas veneratione prosequatur, nisi quod attentiore cura tuebatur minimas, quia prolixius est ut contemnantur. Hoc vero admirabilius videri debuit in homine negotiis gravissimis ferè semper districto; & cui sæpe immunitatem legis lex ipsa daret. Instituti ab Ignatio conditi formam, traditas à majoribus consuetudines, totam denique œconomiam Societatis adeo perspectam habuit, penitusque comprehensam, ut nihil eum privati publicique juris nostri fugeret. Quare ipsum, tanquam oraculum, Patres sapientia longoque rerum usu spectati consulebant; atque adeo ipse Claudius Aquaviva, licet Instituti nostri, ob diuturnam administrationem, apprimè sciens. Cùm rei cuiuspiam facultas ab eo petebatur, si æquam crederet, sine cunctatione annuebat: sin minus, negabat sine circuitione. Quin, ipsas negandi præcipiendive causas, à se diligenter suis antea momentis ponderatas, vulgo reticebat, ne obedientiæ meritum exolesceret. Quamvis autem rigidos illos æqui & recti custodes pauci ament; Fabium tamen omnes & venerabantur & diligebant: cùm pœnam aut præmium, ut quisque pro merito foret, ab eo tribuendum scirent; nec illi quisquam imputare infortunium aliquod suum posset, sed sibi. Si quid à quoquam admissum erat noxæ, postquam offensionem publicam pœna delinquentis & pœnitentia deleverant, placabatur illico, nec deterioris opinionis de reo suspicionem ullam præbebat: gnarus homines sæpe fieri probos, si putentur esse probi; & famam virtutis apud præpositos amisit, virtutem aliquando ipsam abjici amittique. His artibus varia Societatis domicilia per annos complures sanctissimè gubernavit: à summa quapiam præfectura non raro ad imam descendens ultro, & ab ima vicissim ad summam ascendens: quippe qui præcipuam obedientiæ laudem, etiam dùm præesse aliis juberetur, spectaret. Aiunt illum statim à tirocinio continua duodecim annorum siccitate, in rebus divinis animo tractandis, vexatum, vel potius à Deo probatum, perstitisse nihilominus in studio solida pietatis; perseveraturum porro in hac velut inopia usque ad ultimum spiritum, si Deo visum fuisset; cui gratuito, non mercede, serviret: postea vero tantam affluxisse consolationum cœlestium ubertatem, ut priorum annorum sterilitatem largo fanore compensaret. Neque illud videtur prætereundum quod ex iis ipsis, quibus contigit, viris gravibus & probis rescitum est. Cum intelligerent famam & falli & fallere solitam, de illo attentius inspicendo inter se consenserunt; exploraturi videlicet an hominis virtus pervulgatæ opinioni responderet. Postquam in speculis diu multumque sic fuissent, oculis in hunc unum veluti defixis; professi sunt repertum à se virum, fama sua majorem. Humanum testimonium divino confirmatum est: nempe prodigiis non paucis, quibus eximiam servi sui sanctitatem Deus comprobavit. Illud, ut cetera taceam, insigne. Juvenem Polonum in tironum domicilio, cujus gerebat curam Fabius, agitabat malus dæmon ac dirè turbabat, non tacitis tantum, occultisque vitiorum & cupiditatum stimulis, verum etiam objectis vigilantique æquè ac dormienti formis immanibus & infandis. Subministrata sæpius a magistro sapiente remedia non levabant ægrum: nihil inimicam vim arcebat. Igitur quodam die Fabius discruciat præter modum adolescentis misertus, iusto genua submittere, sacrosanctæ Crucis signum supra verticem duxit; ac repente salutaris manu delevit molestas ex animo cogitationes, fœdas imagines ex oculis in perpetuum absterfit. Româ in patriam reversus juvenis detulit aliquid secum, quod usui Fabio fuerat, tanquam salutare contra hostes munimen, si bellum redintegrarent. Sed ipsi quidem hæc arma necessaria non fuere; amico non fuerunt inutilia. Nam adolescentem in Cracoviensi Probationis domo nactus, non dissimili genere belli confictatum, cara pignora laborantis fronti admovit; ac turbidas tristium simulacrorum nubes momento dissipavit.

Haud minus solida, sed magis blanda, magisque velut humana, P. Petri Antonii Spinelli virtus erat; qui paucis post P. Fabium diebus decessit itidem Romæ. Optimam indolem & præclara, quod momenti majoris est, exempla puero dederant parentes, non minus pietate quàm genere inclyti; Seminariæ, in regno

Neapo-

44.

Legum nostrarum custodia: gubernandi ratio.

S. XXI.

P. PETRUS ANTONIUS SPINELLUS.

Neapolitano Ducis. Septimum ingressus annum virginitatem Deo voti sponse confignatam obtulit: cumque postea sensisset agitari consilia de se matrimonio, cuius egregia quædam opportunitas offerebatur, vinculis alligando; non conquievit donec patrem à sententia deduceret. Innata illi benignitas in calamitosos cum atate crevit. Non contentus ipsis diurnam erogasse liberali manu stipem, nocturnam addebat: ac si quorum vox lamentabilis ad aures accidisset, emicabat è lectulo, & ad fenestram profliens, cum nummi non erant in promptu, indusum, aut aliquid aliud ejus generis projiciebat. Neque animorum illi cura minor in hac atatura, quàm corporum. Itaque pauperes obvios, ac præsertim domesticum servitium, Christianæ Fidei præceptis instruebat. Profectus Neapolim studiorum causa, decimam pecuniæ, sibi à parentibus in singulos menses attributæ, partem egenis seposuit: ægrotanti famulo verniliter ministravit, & alia virtutis dedit documenta, quæ nisi à viro atatis virtutisque maturæ, non expectares. Ita præparatus accessit ad Societatem Jesu anno MDLXXIII.

45.

Sancta paternæ
domus oblivio:
humilitas, pau-
peritas, mortifi-
catio, caritas,
pietas erga B. V.

*Psalm. 144.

Tunc enimvero, quasi vatis regii voces propriè sibi dictas audivisset, *Obiscere populum tuum & domum patris tui* *: parentum & affinium amorem, nisi quem recta præcipit caritas, cum seculo penitus exiit. Rarò, nec nisi moderatorem imperio coactus, illos conveniebat; quamvis præter ipsorum domos iret. Invenit etiam aliquando quemadmodum eorum curiositatem piè falleret, visusque non videretur, præsens desideraretur. Cum enim ejus avia, Conchæ Princeps, flagraret videndi juvenis, quem nunquam aspexerat, cupiditate, neque id ab ipso impetrare per litteras potuisset, rogavit Aquavivam, tunc provincia Neapolitanæ præsidem, ut Spinellum ad se mitteret. Mittitur cum seniore sacerdote. Ubi venit in aviæ conspectum, de piis rebus disseruit, quasi alienus; rogatusque in discessu quis esset, Calabrum se adolescentem esse respondit. At non ita commode latere potuit Abellæ, quod oppidum erat paternæ ditionis, & ubi forte fratris uxor versabatur. Venit igitur, ac licet consuetas ad fallendum latendumque artes non inscite usurparet, agnitus tamen est: sed nullis adduci precibus ac prope conviciis, potuit ut cibum in paternis ædibus sumeret.

Magnum est vincere insitum nobis à natura erga consanguineos amorem: majus vincere amorem sui. Hunc Spinellus planè domuerat. Sæpe amictus vili centone, cophinumque gestans, obsonia quæ coemerat promus, domum referebat: sæpe in luce urbis Neapolitanæ asellum per compita præ se agens, risum populi fannasque captabat. Eundem ceteris in rebus ambiebat contemptum sui: hunc detritæ vestes, calcei cicatricibus non paucis deformes, tota cubiculi suppellex loquebatur. Hæc beatæ paupertatis ornamenta, velut illustres è triumphato mundo manubias, sancti aucupantur, & honori pariter ac lucro apponunt, nihil sibi deesse rati, cum Deum habent. Neque tantum Spinellus confectabatur quidquid abjectum & vile paupertas habet, sed etiam quidquid asperum & incommodum: idque tam in se pati, quàm ab aliis propulsare conabatur. Carebat ultro vestimentorum parte, quam egenis erogaverat; inedia voluntariam ac jejunia creberrima tolerabat; planè ut mirarentur omnes unde tantus vigor proccero corpori, ac minime macilento, suppeteret. Neque se duntaxat paucitate ciborum, sed etiam conditione torquebat: nam, lautioribus omissis, famem sedare oleribus consueverat. Cupedia vero, interdum sibi ab affinis missa, statim partiebatur in ægrotos, neque penes se esse, per speciosum remedii aut necessitatis nomen, sinebat. Horas non plures quaternis somno concedens, sæpe inspoliata membra in nudam abjiciebat humum, tabulamve. Ipsam verò lecti culticam, longo usu probe subactam & compressam, lignoque vix molliorem, insertis calculis, aliisque membrorum tormentis, asperabat. Nullus elabebatur dies, quin certum quasi poenarum pensum ac tributum, cilicio, flagellis, aliave cruce, divinæ justitiæ penderet. Has inter spinas illibatum candidissimæ virginitatis florem tumulo intulit. In declinando seminarum, etiam consanguinearum, aspectu; in evitandis vocibus, quæ minus pudicam imaginem, quamvis procul ac velut in recessu ostendunt, nimis anxius nonnullis videbatur. Sed in magno periculo sapiens est omnis metus.

Orna-

Ornabat virtutes istas majorem in modum clementia, suavitas, urbanitas erga omnes, etiam insuaves & inurbanos: ita ut mallet aliquid sibi de dignitate, quam de caritate, deperire. In hominum quorundam æstu & iracundia, perferenda, miserebatur fragilitatis; aiebatque nolle vitreos animos in manibus suis frangi. Ejus caritatem & beneficentiam nulli certius experiebantur, quam qui eam aliquo maleficio & injuria provocaverant: cumque pauciores ejusmodi reperiret in Europa, ad barbaros in India ultima excolendos ut ire sibi liceret, sæpius postulavit. Sed frustra. Eorum igitur loco rudes & pueros docere divina legis elementa loco nullo ac tempore destitit, etiam cum provinciæ præfesset, vel cum ætas ingravescens à moribus puerorum vehementius abhorreret. Si quando imbecilla valetudo, aut interfusum negotiis otium cessare paulisper ipsum cogebat, inducias breves consumebat in scribendo. Exstat eruditum æque ac pium opus, ab illo de laudibus Deiparæ conscriptum *; in quo Cœli Reginam tantquam Dei Thronum exhibet, eamque pietatem expromit, quam ab ineunte primum ætate combiberat, quam in senium produxit, & in qua veluti extremum edidit spiritum, hæc verba suavissimè recinens: *O Domina mea, qua docuisti me à juventute mea, usque in senectam & senium ne derelinquas me.* Septies Lauretanam domum adierat: ac Romam ingressus, ut indictæ Congregationi septimæ interesset (tunc enim provinciam Neapolitanam administrabat) dum Virginis basilicas, & alia, quibus sancta civitas abundat, monumenta religionis assiduus ac pedes lustrat, in morbum incidit, quo est absumptus XIX. Cal. Januar. dignus, ob eximiam virtutem, cujus meritis multa prodigiis simillima jure accepta referantur. Ejus corpus haud ita multo post Roma Neapolim transmissum est, atque in templo Societatis collocatum, rogatu Cardinalis Philippi Spinelli, qui pro ea, qua carissimum fratrem prosequeretur veneratione, prope ipsius cineres condi suos anno sequenti voluit.

* *Maria Deipara, Thronus Dei.*

Eodem anno MDCXV. diem obiit in Corsica Jacobus Dei, domesticus adiutor, oriundus è Belgio. Parentibus mortuis, à quibus opes non contemnendas acceperat, & generis nobilitati pares, incessit adolescentem cupido lustrandi varias regiones, moreque hominum & artes cognoscendi. Antea tamen Deus, qui Societati Filii sui juvenem indolis optimæ destinabat, injecit ipsi mentem consecrandæ Superis aeterno & irrevocabili sacramento pudicitæ. Quod cum fecisset religione summa, tantam est ejus difficillimæ ac pulcherrimæ virtutis facultatem, quamvis in magno morum & oris candore, adeptus, ut nulla, dum vixit, intestina & domestica hujus generis certamina sustinuerit: externa vero semper libero fastidio & generosa fuga superavit. Peragrata Germania, venit in Gallias; sed acciso viatico, & nummis partim ereptis furto, partim, ut fit, amissis casu. Igitur operam suam locat viro nobili inter ephebos ejus honorarios. Cum aulam adiret frequens, & insidias pudori suo undique strui cerneret, non solum declinavit improborum congressum & familiaritatem, quæ certissima pestis est; sed formæ nitorem obscuravit jejuniis, & vino prorsus abstinuit: cujus potum deinceps tota sibi vita interdicitum voluit. Ad hæc, ut erat ingenio miti & humano, calamitates alienas de sua tenuitate sublevabat: cumque, Gallia relicta, venisset Genuam, non dubitavit libertatem suam damnare sponte ad triremes, & inter voluntarios remiges stipendia velle facere, ut haberet plura, quæ in egenos largiri posset. Sed præfecti humanitate rejectus, Mediolanum se contulit, ubi errandæ vitæ pertæsus, quietem & modum erroribus, post composita domestica, quædam negotia, quæsit in Societate Jesu.

§. XXII.
JACOBUS DEI.

Peracto tirocinio missus Bastiam, quæ urbs insulæ Corsicæ primaria, collegii nascentis incunabula majorem in modum promovit: ministeriis omnibus domesticis par unus, etiam vilissimis, quæ infima vulgi sax aliquando detrectabat. Eadem erat quæ prius, ac severior etiam, abstinentia; eadem in egenos liberalitas. Corpus non tam castigabat, quam lacerabat; adeo ut cruor in ipsas vestes redundaret. Jussus parcere sibi ac temperare, morem gessit ille quidem; sed valetudine uti cœpit minus commoda. Itaque permissus est sibi, vel potius divino Spiritui, cujus ductu rationem hanc vitæ asperioris sequi videbatur. Romam

46.
Variè illius
virtutes prodigiis illustratæ.

aliquando profectus, longum iter pedes confecit; victum emendicans ostentans; ibi consistens, ubi nox eum occupasset; plerumque sub dio humi cubans, aut pernoctans in oratione. In ea saepe sic erat defixus, ut à sensibus animus abstractus non viderit, inebriatus cœlestis musti suavitate. Ad se revocatus, epistomium in manu; liquorem, apertâ licet fistulâ, stantem & inhibutum cernit. Aliàs cum carnes torrendas igni admovisset, nec removisset tempore, quod extraxerat meditando, consumptas flammis pane totas recepit. Mensa tamen apposuit, sed ita reparatas ope divina, nihil ut posset fieri conditius. Si quid peccari contra Deum cognosceret, non temperabat sibi, quin acerrimum se vindicem honoris divini præberet, hortando, obsecrando, prudenter increpando; nullo respectu mortali aut metu: ineratque dicenti facundia & persuadendi vis longè supra captum; ut divinitus infusam sentiret. Loquendi tamen partes, præsentem sacerdote, sibi nunquam arrogavit: sed tacitus, dejectis in terram oculis, nisi juberec secus, audiebat.

Quædam ab eo supra naturæ vires patrata, singulari fiducia, quam in divina bonitate ac potentia repositam habebat, merito ascribuntur. Agrotis compluribus restituebat valetudinem nescio quo pharmaco, cui vim peculiarem inesse nullam apparebat, nisi haustam à precibus, quas pro agrotis funderet, aut quas ipsis præciperet. Captum fuerat à Turcicis prædonibus navigium, quo plures amici Societatis vehebantur. Jacobus illorum affines consolandi causa convenit; affirmans fore ut brevi reversos in patriam ac donatos libertate conspicerent, si Beatissimæ Virginis effigiem, quam in proximi montis fastigio collocaverat, pie venerarentur. Morem gessere: nec longo tempore interposito, verum fuisse vatem agnoverunt. Erectum in eodem deinde loco sacellum, ac Virgini Deiparæ dedicatum, civium advenarumque votis & donariis hodieque celebratur. Navis in Bastiæ conspectu abrepta vento, in proximas syrtis ferebatur. Vidit è fenestra domus, unde in subiectum mare prospectus patebat: positisque humi genibus Deum oravit, saltem ut vectores donaret sibi. Navis, impetu represso, præter immanes scopulos innocente Zephyro ducta, ad littus arenosum sic allisa placide est, ut quotquot ea vehebantur in littus emerferint. Hac aliaque ejus generis nonnulla, quæ latius emanarunt, nixa præsertim fundamento veræ solidæque virtutis, tantam illi opinionem probitatis egregiæ conciliaverant, ut sanctus publica voce diceretur.

S. XXIII.
P. ANTONIUS
CARDENAS.

P. Antonius de Cardenas alebatur in familia florente, magnarum olim opum futurus heres. Sed Numinis voluntas, à quo ad vitam religiosam vocabatur, tam certis & inusitatis declarata signis fuit, ut ei refragari parentum pietas nullo pacto potuerit. Eam indolem nactus erat, qua melior optari vix potest. Pudor, verecundia, benignitas in calamitosos, religio, prudentia, in ejus animo vultuque sessitare videbantur. Has inter virtutes adolefcebat, omnibus carus propter suavitatem morum; nihil tamen de religioso instituto cogitans: cum ingressus aliquando templum, vocem audire sibi visus est intus monentem, *Sequere me*. Percussus improvisa cogitatione, hæsit aliquandiu, anxius quo se verteret. Nam, etsi licentiam seculi non amaret, libertate nihilominus probæ innocentisque vitæ non invitus gaudebat.

Adciverat sibi sodalem & amicum adolescentem, iisdem præditum moribus: cum eo dum obambulat per urbem, repentinus imber utrumque in proximam pii sacerdotis domum compulit. In hujus atrio dum consistunt & confabulantur, prodit sacerdos; & elegantiam adolescentum vestesque lautas contemplatus, Bene habet, inquit, si corporum elegantia respondet animi latentis decor. Nec plura se in ædes recipit. Conturbati discedunt: ac postridie, quamvis minime communicato consilio, ad eundem locum ambo revertuntur. Egressus ad eos vir Dei, obtutu in Antonium defixo, compellat eum nominatim, etsi penitus ignotum; & Deus, inquit, in Societatem Filii sui te vocat. Mox, ad alterum oratione vultuque converso, Tu vero in Divi Augustini familia stipendia facies. Sic locutus attonitos, ac de veritate oraculi nihil dubitantes, deserit. E vestigio capessunt mandata, veluti divinitus data: & Cardenas, adhibitis in consilium viris

47.
Vocatur ad Societatem JESU: virtutibus ac celestibus donis ornatur.

pru-

prudētissimis, Deo se totum in Societate obtulit. Continuo cœlestium opum ac deliciarum vis tanta pectus bene præparatum inundavit, ut illi capiendæ par non esset. Præter assignatum ceteris ad præcationem tempus, aliquot horas quotidie commentationi rerum cœlestium, idque in æde ut plurimum sacra, dabat. Jejunio videbatur ali, ciliciis & verberibus vigere; in vilissimis rei domesticæ ministeriis triumphare. Illud solenne ac familiare habuit, ut Christianis moribus ac præceptis populum rudem instrueret in compitis, etiam cum urbanam juventutem arcanis philosophicis erudiret, aut collegio cuiuspiam Societatis præset. Ad confessiones maximè pauperum excubabat in sacro tribunali tandiu, dum adesset qui audiri vellet. Xeræ, in patria sua (quæ civitas Extremadura est) complures annos egit opinione tanta sanctitatis, nemo ut vivere nisi eo docente; nemo, nisi adjuvante, mori vellet. Trinas instituit, rexitque sodalitates, unam sacerdotum, alteram nobilium, tertiam mediæ plebis, totidem seminaria sanctorum, & virtutis domicilia. Odia inveterata & internecina sedabat verbo; voluntates hominum, quasi pro imperio, gubernabat; ita ut sæpe audirentur exclamare, Quid hoc hominis est? Ut nos volentes nolentes rapit! Ingressus aliquando matronæ domum, quò seminarum nobilium cœtus convenerat, cum paulisper sermonem de rebus divinis intulisset, sub discessum addidit: Videte, quæso, quid agatis; nam cum ista vestium pompa, cum istis vitæ deliciis, in cœlum non itur. His pauculis vocibus ita omnes immutavit, ut abjecto protinus mundo muliebri, curisque inanibus, totas se ad studium pietatis, eo duce, converterint.

Ad hæc paranda miracula divino sæpe lumine collustrabatur, quo recessus intimos animorum, & futuros eventus pervidebat. Sæpe ad collegii januam, licet à nemine foret evocatus, procurrebat, miranti janitori affirmans adesse certos homines, qui sua opera indigerent: &, cum hæc maximè diceret, aderant. Colloquentem cum aliquot Patribus repentina invasit trepidatio: exclamat, Siccine hominum hostis animas perdis? at prædam hanc certe tibi vel invito eripiam: statimque prorumpens, in angiportum quoddam anhelus provolat. Januam domunculæ obferatam videt: levi pedis ictu patuit. Evadit in abditum conclave, ubi suspensus laqueo civis cum morte luctabatur: laqueum secat, solatur miserum, & ad scelere poenitentiam adductum duplici vita donat. Regionem vicinam obibat cum aliquot sacerdotibus, in laboris Evangelici partem assumptis. Defatigatus ex illis unus, cum domum sera jam nocte se referret, *Quin tu*, inquit *Antonius*, parumper consistis in æde sacra? hic te præstolantur duæ infelices animæ, quæ ab annis sexdecim peccatorum gravibus vinculis implicantur: eas exsolve. Rediit; & ita se rem habere, uti Cardenas prædixerat, comperit: cumque, exacta jam nocte dimidia, rediret latus in diversorium; Crastina lux, inquit Cardenas, majorem tibi quæstum offeret. Consueverat, quibus diebus ludi publici & spectacula edebantur, colligere sodales suos ad preces in templo fundendas, ne quid periculi damnive cuiuspiam in istis ludicris certaminibus crearetur: ac sæpe cognitum, Deo monente, periculum depellebat. Sic amico nobili auctor fuit, ne certa die in certamen equestre descenderet. Quod ille tamen cum fecisset, excusus ab equo sternace veram sacerdotis amici vocem probavit: ejusdem tamen precibus certum exitium effugisse creditus est. Sileo pleraque non tam argumenta virtutis, quàm ornamenta & præmia, quibus famuli sui sanctimoniam testari visus est Deus; cum à sensibus alienaretur, cum sublimis allevaretur ab humo, cum radianti ore colluceret. Ea vero tum præcipue contingebant, cum de sanctissimo Sacramento differebat, aut in ejus conspectum veniebat. Ibi enim quoties otii quidpiam negotia indulgerent, solebat habitare. Hinc hauriebat dicendi vim admirabilem, qua cuncta convellebat: sed cum vehementius aliquando peroraret, vox illum subito viresque defecerunt. Reportatus domum, paucis post diebus senectutem emeritatem cœlo, ut vita sanctissimè transacta persuadet, intulit X. Calend. Maii.

Diebus tantum octo P. Cardenam P. Sebastianus Barradius præcessit, Conimbricæ mortuus XVIII. Cal. Maias. Patria Olyssippo, natalis annus MDXLII. fuerat. Ineuntem ætatem peregit tanta probitatis commendatione, ut, cum fuit in-

§. XXIV.

P. SEBASTIANUS
BARRADIUS, PE-
TRUS CARILLUS,
ET P. PETRUS
BELLIDUS.

Societatem adscriptus anno MDLVIII. nihil præter domum ac vestem mutavisse diceretur. Eandem virtutis eximia famam ad supremum usque diem retinuit, sic, ut spectandi ejus causa, & vestis atrectanda, convenirent è locis remotioribus, & passim Apostolus audiret; cælo gloriosum nomen haud levibus argumentis, & probante. Priorem vitæ partem traduxit Conimbricæ & Eboræ, sacris litteris applicandis, quas egregio commentario illustravit; posteriorem, Evangelio per Lusitaniam disseminando: qui campus cum ipsi videretur angustiior, gestiebat erumpere in orbem alterum, eoque desiderio, dum vigeat ætas, conficiebatur & prope tabescebat. Objecta meditati aliquando cruciatuum æternorum species tam alte infederat in animo, ut eorum salutarem metum audientibus incuteret, nihilque frequentius tractaret aut felicius, quàm inanitatem caducorum bonorum: quæ dum mortales miseri sectantur avidius, non solum amittunt sempiterna, sed etiam in pœnas nullum habituras finem præcipitant.

48.
Conciones utiles: Virtutes religiose.

Et de argumento cum verba faceret Conimbricæ anno MDXCII. tam multos in hac celeberrima academia juvenes ab amore fallacis fugacisque seculi abduxit, ut iis capiendis cœnobium non sufficerent, ac professores sua subsellia parè vacua mirarentur. Uno sæpè vocabulo, unica sententia, sic feriebat aures prætereuntium, ut salutari plagâ icti conciderent; & ad ejus advoluti pedes, remedium pœnitentiæ sanandis animorum vulneribus quærerent. Porro triplici ex fonte profuebat illa dicendi vis & efficacia: primùm è comperta viri probitate: deinde ex orandi studio, cui mirum in modum deditus erat: demum è voluntariis, quibus macerabat se se, pœnis. Cùm orantis, ac præsertim sacrificantis ardor illi sensuum usuram, ac motum prope omnem sapius auferret, suspicio fuit eum comitali morbo laborare. Medicus arcessitus cum venam pertentasset: Utinam, ait, simili morbo laborarem! Media nocte ad orationem confurgens, eam auspicabatur ab imponendis sibi perquam liberaliter verberibus: eadem, post horam precando ductam, repetebat: ac toties ferè ingeminabat, quoties ad orandum se accingeret. Cum ad cilicii sensum occaluisset, sternebat urticis lectum, in iisque se volutabat. Ciborum quoque gustum perdidit: aut, si quis restaret in iis sapor, eum variis corrumpebat artibus. Vestes tandiu gerebat, quandiu sarciri poterant: cumque in omnibus consecraretur quod erat deterrimum, dictitare solitum ajunt, nos non duntaxat nomine, ac Pontificio diplomate, sed re ipsa esse pauperes debere. Sic paternæ, in qua natus erat, opulentia oblitus, in Christi paupertate acquiescebat; thesaurum hunc rerum omnium jacturâ bene redemptum ratus, quo scilicet regnum cœlorum emitur. Hujus possessionem annos tres & septuaginta permensus adiit.

Petrus Carillus, Hispanus, cum Societatem iniisset litteris tum amœnioribus, tum severioribus, diligenter excultus, tanto humilitatem religiosam studio amplexus est, ut honore sacerdotii se indignum existimans, in ordine adjuutorum domesticæ rei constiterit. Ausus etiam, quod sanctis quibusdam legitimus accidisse, simulare dementiam, eaque dicere ac facere, quæ mentem penitus emotam saperent. Humilitati frenos tamen injecit sacerdos, qui ejus regebat mores, ac virtuti contemptus avida posuit modum. Hæsit nihilominus illius famæ inulta quædam labes, quam vix eluere complures anni potuerunt. At Deus, qui exaltat humiles, cœlestem viri sapientiam, prophetiæ dono, summisque virtutibus demonstravit; ac præsertim tanta precandi facultate, ut horas decem orando quotidie infunderet. Repertus est, obita morte*, precantis habitu, erecto corpore, sublati manibus: quo more Paulum, eremi decus, extinctum Antonius offendit.

* Orobese. Notis Quintil. et. anno 70.

P. Petrus Bellidus, Aragonius, perpetuo, dum vixit, morbo confictus est: sic tamen, ut in affecto ac languido corpore, vigor animi pietatisque valesceret. Quin etiam morbi acerbiter novis cruciatibus irritabat, cilicio semper indutus, flagris laceratus, debilitatus jejuniis; ante mortem denique mortuus, & spiranti cadaveri, quàm homini vivo similior. Talibus indulget se se divinus ille Spiritus, qui olim in mortalium mentes ægre descendebat, quod immerse carni essent*. Itaque, quanto se à contagione corporis longius abducebat P. Bellidus, tanto ad Deum accedebat propius, cujus suavissima familiaritate tribus horis man-

* Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Genes. c. 6.

ne;

ne; totidem, ac pluribus etiam, post meridiem fruebatur. Ut Hebræorum legislatoris vultus, post diurnam cum Numine consuetudinem, quibusdam radiis collucebat, sic Bellidi mens mira perfundebatur luce, quæ in ipsum aliquando corpus redundabat. Ipse summam rerum divinarum & interioris virtutis cognitionem adeptus, plerisque dux ad apicem perfectæ vitæ fuit; arcanas mentium cogitationes vidit; eventus futuros prospexit; dæmonum fraudes, humanæ imbecillitati insidiantium detexit: quorum ob eam causam odia, & plagas interdum graves sustinuit.

Precationis vim miram expertus, eam in rebus vel desperatissimis adhibebat. Accitus ad mulierem gravi morbo, gravioribus vitiis laborantem, nunquam adducere illam potuerat, ut animæ vitam sacra confessione repararet. Quare ad socium conversus, Luctandum, inquit, cum Deo; & in angulum cubiculi secedit ad orandum. Horâ exactâ, redit; urget improbam, obtestatur, minatur. Nihil proficit. Rursus instat orationi, cum ingemiscentem cernit, rogantemque ut se consistentem audiret. Audivit, morbumque ab animo pariter & corpore depulit. Aliàs tamen, cum pro nobili non levibus flagitiis implicato vehementius oraret, audire vocem est visus ita monentem: Gratum est quod pro amico postulas, sed ille vicissim enitatur id consequi quod petis. Paruit nobilis: curam & conatum adhibuit: ac Deus qui non deest facienti quod in se est, hominis misertus, cum dedisset *velle* & conari, etiam *perficere* * donavit. Valebat idem Bellidus peculiari quodam dono discernendi veras virtutes à falsis. Attaci, quam Hispaniæ urbem aliqui veterem Bilbilim esse arbitrantur, Maria quædam Montera debebat. Ad eam ex Aragonia universa confluebant quicumque pietatis florebant laude; pars consilii petendi causa; pars audiendi studio. Mira quippe de religione abditissimisque mysteriis puella rudis ediserebat: occulta nonnullis aperiebat scelera: sacra etiam stigmata, Francisci & Catharinæ audax æmula, ostendebat. Adhæc auferitas vitæ incredibilis; opum, quas in egentes dividendas undique accipiebat, contemptus sanè magnus; non item honoris & famæ, quo illam subtili laqueo irretitam cæcus amor sui tenebat. Casaraugustam ab Archiepiscopo evocata fraudem ac præstigias timentem, nullam obtulerat ansam satis probabilem, cur ejus virtus in dubium veniret: donec larvam ipsi Bellidus detraxit. Tunc enimvero fœdum, ereptâ personâ, monstrum apparuit. Sed, quod prodigii simile visum est, ad pœnitentiam adducta, & in eandem reducta urbem fuit, ubi populum ementitæ virtutis fucio deceperat. Rarè quippe istæ ingenia sapere docentur: imo solent eò cadere gravius & allidi, quo altius elata fuerant populari aura. Id ipse Bellidus cavens, in virtutum solidarum studio totus erat: quæ si splendoris minus, certè plus securitatis habent. In earum assidua exercitatione diem extremum clausit Valentis VI. Cal. Novemb. cum annos septuaginta tres excessisset. Quam famam spreverat vivus, & omni ratione defugerat, hanc mortuus effugere non potuit.

At illam nec vivus nec mortuus effugit P. Joannes Cardimus, quem Beato Aloyso Gonzagæ, ac B. Stanislao Kostkæ simillimum existisse publica constansque vox omnium affirmavit. Ortus erat in oppido Lusitanis, quod vulgo Montem-Corvinum appellant, anno MDLXXXV. IV. Non. Julias. Nomen Joannis habebat ex voto, quo mater se obstrinxerat, si masculam susciperet prolem. Nec inane Præcursoris beati nomen gessit. Infantis levitatem ac vitia ignorasse visus; jam tum gaudens ab hominum frequentia secedere, avocare animum à rebus caducis, artusque innocentes ac teneros macerare. Decursa scholarum, ac politioris humanitatis palæstra juvenili, sacris canonibus & Ecclesiastico juri operam diurnam Conimbricæ dedit, magna celebritate ingenii, majore virtutis. Modum in uno tamen non satis tenere visus, nempe in corpore afflictando; cuius & vires & formam exquisitis cruciatibus attrivit. Oranti in sacello B. Virginis à Luce,

ad

49.

Precationis efficaciam. Detrahitur virtuti speciosæ fucus.

*Ad Philipp. II.

S. XXV.

P. JOANNES CARDIMUS.

ad primum ab urbe lapidem, & de optanda religioso cujuscumque instituti familia deliberanti, audita vox intus fuit, qua monebatur ut Societatem Jesu deligeret. Accepit illam, tanquam divinitus missam, & edito perpetuæ virginitatis, ante quam è sacello discederet, voto, ratam habuit. Statim Olisipponem advolans ad P. Antonium Vasconcellum, propinquum & familiarem suum, ut in numerum fratrum rei domesticæ adiutorum adscriberetur enixè postulavit; quo tutius rectiusque salutis suæ sempiternæ consulere. Vasconcellus contra, hortatus est ut initiaretur sacris Ordinibus ante ipsum tirocinium, & causas graves cur ita censeret, addidit. Morem gessit Cardimus, & sacerdotio auctus, speris luculentarum hereditatum, quæ offerebantur ultro, tabulis; abjecta spe honorum, quos regius favor, majorum meritis conciliatus, non frustra spondebat; recusato Ecclesiastico locuplete beneficio, quod illi Martinus Alfonsus Mexia, Leiricensis antistes, sanguine ipsi conjunctus, ingerebat; Conimbricensem Probationis domum est ingressus IX. Cal. Julias anni MDCXI. ætatis sexto & vigesimo. Multos adulescentes perculit exempli splendor, qui se unâ cum illo in varias religionum Ordinum domos abiderunt.

50.
Exempla virtutum ab eo edita. Opinio publica de illius excellenti probitate.

Quæcumque sunt in trionibus illustria, pietatis ardor, oblivio rerum humanarum, contemptus & odium sui, quanquam in P. Joanne Cardimo fuerint supra modum vulgarem eximia; quia sunt ipsi tamen cum aliis quibusdam communia, silentio præterimus. Evoluta tirocinii biennio VIII. Calend. Quintiles anni MDCXIII. vota religiosa nuncupavit Bracharæ: ac sacramenti Christo dicti formulam, suo exaratam sanguine, semper è collo suspensam, ceu militiæ sacræ testam, gessit. Bracharæ mansit non toto biennio, recolendis severiorum disciplinarum, quas olim delibaverat, studiis occupatus; eoque brevissimo temporis spatio metam perfectæ virtutis attigit. Exorsus ab humilitate & despicientia sui hoc investigabat unum, quo maximè modo se abjiceret, contemnendumque aliis præberet. Vilissimo culinæ ministerio mirificè tenebatur, ejusque frequentem copiam sibi fieri postulabat: infimum quemque honoris obvia significatione antevertibat. Nullus illi de humanis rebus, quæ judicio vulgi habentur magnæ, nisi ut esse minimas doceret, sermo; nulla cognoscendi quæ publice privatimve gererentur, si essent ab æternis sejuncta rationibus, cupiditas; ac ne patientia quidem audiendi. Anagnostæ munus, religiosus in tricliniis, adolescentum est fere, immunibus hoc onere sacerdotibus. Joannes eo fungi, cum junioribus, adeo non cunctabatur, ut, quia præsto ad obsequium semper erat, crebrius in illum id oneris incumberet. Inopum turbæ, ad posticas fores sportulam opperientium, sæpe se permiscebat, suumque cum illis quasi demensum partiebatur. Non alio ferme pane vescabatur quàm cibario, ut servitiis apponi consueverat. Apparatus cubiculi, vestes, ipse totus humilitatem ac paupertatem spirabat. Nemo tam sævus in apertum hostem, quam ipse suum in corpus: & quamvis frenum præfides injicerent, valetudinem nihilominus pia crudelitate sic fregit, ut vitæ voluntariis pœnis accisa reus diceretur: quod objectum quoque B. Aloysio Gonzagæ proditur. Sanè tanta sagacitate vias omnes discrucianti sui rimabatur, ut si unam præcluderes, sexcentas alias indagaret. Cum ægrotanti admovenda essent, jubente medico, cucurbitula, defuit caro cui adhærescerent: adeo illam inedia tenuaverat: ægre maligneque fluxit sanguis, sectâ venâ: extabant ossa macilentata: numerare singula potuisses. Corpus à morte plagis foedum apparuit, cilicii ac flagellorum notas tam alte iniustas retinens, ut cutis, veluti fulcis inarata, horreret. Nihil crebrius animo ac sermone versabat, quàm Indias & ultimum Orientem, religionis propagandæ studio, vel saltem pulcræ necis obeundæ pro Christo spe. Præclari voti copiam à moderatoribus semper dilatam, sed ostentatam nihilominus, consolabatur interea erudiendis bis terve per hebdomadam pauperibus, ad collegii valvas; excurrendo Dominicis diebus ac festis in vicinos juxta remotosque pagos; vinctos in custodiis, in nosocomiis ægros, adeundo & sublevando; nullam demum occasionem pietatis ac religionis insinuandæ præmittendo. Cum sæpe sacerdotes evocarentur è collegio nocte intempesta, ut morientibus opem ferrent; simul ac pulsari fores audiebat, exsilioque è strato, & jani-

janitori quasi casu oblati, rogabat ut rectori præsto se esse diceret; nihil esse quod aliorum quies interturbaretur. Ejus litteræ, si quando scribebat ad absentes, meram pietatem redolebant. Palam in cœnobio legebantur illæ, quas Vietnam Limii mittebat ad sorores suas, virgines Deo sacras, ut eodem ardore ceterarum quoque mentes virginum accenderentur. Ipse sacrificantis conspectus adstantes inflammabat: tanta in vultu, & in tota corporis conformatione, veneratio Numinis eminebat! Par in ceteris, quæ Dei cultum spectabant, attentio: quam appositis ac sæpe reperitis meditationibus acuebat. In recitanda Virginis Matris corona, ejusque laudibus animo revolvendis, horam quotidie collocabat: septima hebdomadæ cujusque lux illi jejuna, in ejusdem honorem, erat: denique omnes ad ejus obsequium, imitationem, & amorem enixè hortabatur. Concurrerant certatim cives, ut orantem in templo conspicerent, & fuere qui exstantem a terra id temporis deprehenderint. Dono lacrymarum, ut appellant, præditus, earum profundebat vim tantam, ut pio imbre sudaria, vestes, solum ipsum, crebrò respergerentur. His aliisque (nam omnes minutatim percensere longum foret) virtutibus eam adeptus erat opinionem eximæ sanctitatis, ut in publicum prodeunti occurrerent venerabundi; manum deoscularentur; caput, ejus nomine audito, aperirent. Pauperes vero irruebant adedò conferti, ut, cum illorum agmen perumpere nequiret, in angulum se aliquem subducere cogere: ubi collectos pia cohortatione allocutus, quasi veniam abeundi exorabat. Neque hæc opinio populi duntaxat erat, sed virorum prudentia & probitate præstantium: qui & incolumem, & sublatum ex oculis, judicio suo laudibusque cohonestarunt. Confirmavit hanc opinionem supremus morbus, in quo se virtus vera, tanquam in postremo vitæ actu, magis prodit. Mortem imminentem, quæ in XII. Cal. Martias anni MDCXV. incidit, cerè denunciavit. Mirum autem & prodigio par visum est, quod cum dulcia Christi vulneribus oscula moriens daret, ipsum Domini è Cruce pendentis signum, refixis manibus ac pedibus, ita se illius ori applicuerit, ut famulum amplecti suum, ejusque supremum excipere spiritum velle videretur. Auxit admirationem, quod immotis in ipsa Cruce clavulis rursus inseri sacrum simulacrum agrè potuerit. Petierat suum ut cadaver in simetum abjiceretur. Illud populus omni honoris testificatione profecutus est. Missus confestim ad matrem de obitu filii nuncius eam comperit ab ipso Joanne factam esse certiore, justamque, missis lacrymis & inani luctu, suæ potius gloriæ gratulari. Hanc ejus in cœlesti regno gloriam cum plurima testarentur miracula, interrogati sunt, antistiticum auctoritate legitima, idonei testes, & sacramento adacti: confecta mox tabulæ, suum olim habituræ pondus, si cœlum annuat, si Roma poscat. Id Olisippone factum, Bracharæ, Conimbricæ, & Amææ, quam Portalegram vulgo vocant. Insigne præ ceteris est testimonium Sebastiani de Matos de Norona, Archiepiscopi Bracharensis; qui multa in laudem P. Cardimi, à se visa & explorata, fusè prosequitur. Neque isto minus amplum & honorificum exstat aliud P. Andrea Palmerii, multis magnisque muneribus in Societate nostra functi; qui tunc Socii in collegio Bracharensi præerat. Ille, sub Joannis obitum, nostros unum in locum convenire jussit, & in medium proferre, quæ de illo singuli nossent: quo nempe memoriam rerum ejus præclare gestarum ab oblivione vindicaret, ceterosque stimulare æmulatione virtutis. Tunc multo maxima & pulcherrima facinora plerique retulerunt, quæ brevi commentario consignata sunt. Seniorum certè vox una fuit, neminem nostrorum ad eam diem iis in locis visum esse, in quo tam perfecta atque absoluta sanctimoniam forma elucèret. Hanc narrationem Palmerius chirographo suo firmavit, simulque professus est, quæcumque de P. Cardimo fuerant in medium adducta, minimam eorum partem esse, quæ ipse de illo, cum ejus animi rationes exciperet cognoverat.

Præter insignes Societatis nostræ viros, in istis duobus ultimis libris commemoratos, mentio fit passim in aliis hujus posterioris Tomi libris aliorum complurium, qui ab iis, in quos illorum obitus incidebat, annis & locis, revelli non facile potuerunt. Eorum nomina exponam ad hujus Tomi calcem in indice peculiari. Nunc viris pueros, veteranis militibus tirones quosdam subijcio, in quibus

S. XXVI.

TIRONUM ALI-
QUOT VIRTUS ET
CONSTANTIA ME-
MORABILIS.

quibus viriles animos, & memorabilem in tuenda vocatione religiosa constantiam laudare meritò licet.

31.
Julius Cæsar
Recupitus con-
tra matrem pro
religiosa voca-
tione fortiter
pugnare

Julius Cæsar Recupitus educabatur in Seminario Romano, & inter suos æquales eminebat. Adolescentuli præclaram indolem admirata mater, & ingenii vim pro ætate non vulgarem (quippe annos admodum tredecim natus philosophiæ placita jam propugnauerat in collegio Societatis Neapolitano) timere, id quod erat, cœpit, ne mentem ad vitam religiosam appelleret. Continuo puerum abducit à collegio, ac ne quem è nostris alloquatur severè interdicit. Hoc amplius, eundem profanis spectaculis, conviviis liberioribus, & aliis quæ improvidam ætatem inescant, voluptatum lenociniis emollire conatur. Sed in ferales coniectum flammæ servavit is, qui eum à cunabulis secreverat sibi. Affinem habebat in eodem collegio Recupitus Patrem Natalem Caputem. Ille, ubi periculum adolescentis cognovit, & ejusdem in Societate ambiendâ constantiam, egit cum Præposito Generali Claudio Aquaviva, ut adolescens admitteretur in tirocinii domicilium: simul matri religionem ac metum incussit, quæ filium, amore ducta pravo, perderet. Hæc oratio maternam sollicitudinem & custodiam auxit: oculos non dimovet à puero; cavetque ne à suo latere usquam discedat. Nec minus sedulo Recupitus rimas omnes, quâ posset elabi, vestigabat. Ductus aliquando ut concionatorem per Quadragesimam audiret in templo nostro, pone matrem sedit; inde clam per concionem suffugiens, adit Bellarminum, provinciæ præpositum, utque tironibus adscribatur ab eo enixè, ut sapius antea, postulat. Data spe promissisque recreatus, pristinum repetit locum ante finem concionis, inscia matris. Postridie per eandem concionem similiter dilapsus, Probationis domum rectâ petit, seque abiturum prorsus negat. Mater, ubi se delusam sensit, muliebriter furere scilicet, ac litteris, quas dictabat dolor, in Præpositum Generalem invecit, filium reposcere. Aquaviva comiter ac blandè rescribit, à viris idoneis examinari posse Recupitum; & num vocatus à Deo venerit, cognosci. Addit alia quæ dolorem opportunè delinirent. Quibus efferata nobilis matrona, & propinquis amicisque pollens, decretum à Romana curia per eos obtinet, quo potestas fiebat Neapolitano sedis Apostolicæ Nuncio transferendi Recupitum in ædes suas. Mos gerendus fuit. Adest mater, ac duabus machinis tenerum aggreditur labefactare pectus: altera ludicra & joculari, per domesticos & familiares præsulis, qui de industria consilium adolescentis deridebant, & jocis malignis illum fatigare non cessabant. Altera gravi & seria, per se se. Nunc ad filii pedes jacebat abjecta, supplicantis in morem: nunc lacrymis perfusa coram stabat silens: nunc maternum ostentans sinum, crudelitatem exprobrabat. Ipse dejectis humi oculis, interdum sicens, unum hoc reponebat: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus* *. Putavit mater confici rem posse commodius, si filium haberet in potestate domi suæ. Verum hoc nunquam exorare potuit à Nuncio Apostolico; qui non ita multo post, acceptis à Romana curia litteris, monitus est ut adolescentem redire in ædes tirocinii sineret.

* Luc. XIV.

Elapsis mensibus fere sex, Recupiti avus in morbum incidit. Arripit opportunitatem mater callida. Simulat optare id unicè senem, ut nepoti suo carissimo bene precari ante obitum possit; utque per Patres id liceat petit, nec nimis molestè: placatam crederes. Et placatam Patres arbitrati, nec de juvenis constantia jam spectata metuentes, quod petebatur indulgent: addunt sacerdotem socium itineris, & præsidium pueri, si quid certaminis ingruat. Nepoti bene precatus senex, eundem gratulante familia dimittit. Processerat aliquantulum cum socio sacerdote, negotio citra tumultum gesto lætus, cum repente, duobus famulis valentissimis comitata mater subit, & Recupiti comitem pugione stricto petens: Faceffe, inquit, & filium meum omitte. Sacerdos femina furens, & ferrum jugulo intentantis conspectu percussus, mutusque metu, cessit. Arreptus à famulis puer in paratam rhedam conjicitur. Ejus comes ubi solus domum, à timore nondum confirmatus, repetiit, ac facinus audax, vulgante fama, percrebuit, Neapolitanus. Prorex vim intentatam sacerdoti, & religiosi Ordinis tironi; violatas leges sanctissimas, reamque matrem, pronunciat: crimen examinandum & pervertigan-

stigandum sanctiori senatui demandat. Illico in carcerem famuli & quæstionem dantur; decernitur in matrem pœna: quæ suo ac suorum gravi territa periculo filium constantem & invictum restituit. Rediit è domestico certamine jam emeritus in tirone miles; laceratam maternis manibus religiosam vestem, gloriosa monumentum victoriæ, reportans*. Non solum valuit exemplum virilis in puero constantiæ ad firmandos novitiorum animos, ac valebit, ut confido, in posterum: sed etiam alios quosdam ad imitandum pellexit, qui alieniores à vitâ religiosa esse videbantur. Petrus de Albicis Apostolico Nuncio, cujus in ædibus moratum aliquandiu Recupitum dixi, a secretis & intimis consiliis erat. Jussus adolescentem speculari attentius, videbat stans piè precantem horis; corpusculum diverberantem audiebat; legentem libros de pietate conscriptos intuebatur, aliis rejectis, quorum ingens in bibliotheca ejusdem Nuncii Apostolici numerus: obambulantem in horto singulari modestia, & sacri rosarii globulos volventem; oculos etiam florum aspectu & amœnitate hortensi fraudantem. Movit ea species hominem; & secum tacitus; Tantamne in pueris esse pietatem, tam dulcem rerum divinarum gustum, dum nos hæremus affixi terræ, ac vitæ partem optimam male perdimus! Eadem cum amico locutus, Præpositum Generalem convenit; quæ viderint, quid constituerint, narrat; ac domum probationis eo annuente, ambo subeunt.

Recupitum cum matre; Desiderius Pallotta cum utroque parente, pari fortitudine, pari exitu certavit. Educabatur in Seminario Romano, & æqualium nemini pietate ac eruditione concedebat. Hæc verba Christi Domini secum aliquando reputans, *Omnia qui reliquerit domum, vel patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit**: tam præclaræ mercedis in religiosa vitâ & Societate consequendæ spem ac desiderium concepit. Adductus in aliquam suspitionem pueri patruus, Cardinalis Evangelista Pallotta, qui spes alias, alia penitus de illo fovebat consilia, collegio amorum ad perdiscendum jus in academiam celeberrimam ablegare cogitabat. Antevertit adolescens, & quid consilii Deo vocante susceperit, apertè indicavit. Placide primo contemptimque Cardinalis dicentem audivit: mox tenère se non potuit quin levitatem, ut aiebat, durius increparet, auctoresque consilii præcipitis incusaret. Nec diu cunctatus, stomachum in Præpositum Generalem Societatis acerbissimis literis erupit. Quibus acceptis, Aquaviva continuo scribit ad omnes Italiæ Provinciales, ne adolescentem admittant: mox Cardinali significat unicè id puero fuisse commendatum, ut parentis ac patruj consensum, velut necessariam admissionis tesseram, obtineret. Ceterùm religiosarum familiarum præfides esse tantum administratos, ac dispensatores; non item dominos; quibus proinde neminem liceat excludere, quem à Patrefamilias vocatum venire appareat.

His à Præposito Generali renunciatis, adolescentem hinc pater, inde mater, divisis veluti copiis invadunt. Nunc joci, nunc minis; modo conviciis & probris; modo blanditiis, arcem teneri pectoris quatunt. Aula Romanæ splendorem, paratas opes, honores minime dubios, ostentant. Certior factus de periculo adolescentis, in tam gravi certamine, sacerdos qui ejus conscientiam regebat, fidum & nulli suspectum hominem submittit: qui, cum illum alloqui remotis arbitris nunquam potuisset (domi enim excubiæ, foris comites perpetui) abibat mærens: sed effuso repente nimbo, cogitur in facellum viæ junctum se conicere. In eundem locum præceps advolat, equo vestus, venatoris cultu, adolescens ignotus, cum duobus comitibus: qui dum in vestibulo adiculæ confabulantur, donec nimbus prætervolet, ipse desiliens ex equo, in facellum precaturus secessit. Pietas oris modestissime compositi suspitionem homini fecit, hunc illum esse quem quæreret. Accedit suspensio gradu, compellat nomine: quis sit vicissim, quid ferat, à quo missus, docet. Corroboratus brevi colloquio mirum in modum Desiderius fortem animum & invictum telis omnibus objecit. Romam reductus adit ipsum Pontificem, ac pro se non timidè perorat. Clemens obtemperare patruo jubet, ac Pisas, ut Cardinali placebat, studiorum causa, proficisci. Profectus est: ac Pisanorum in se oculos brevi convertit, non tam splendore cultus & comitatus (hunc

* Obiit virtutis ac doctrinæ laude clarus an. 1647. et. 68.

52.
Desiderii Pallotta ad Societatem vocati constantia.

* Matth. 19.

enim discedenti patruus laurissimum præbuerat) quàm commendatione modestiæ ac pietatis. Ita quippe litteris dabat operam, ut majorem colendæ virtuti daret. Quin, piam sodalitatem è præcipuis academiæ discipulis instituit, & quosdam facinorosos ad pœnitentiam perduxit. Animum indolemque Societatis, in hac salutis alienæ cupiditate, agnosceres; vestem unam Societatis & nomen desiderares. Quæ cum Cardinali Pallottæ renunciata sunt, abjecit spem expugnandi juvenis, annuitque ut in patriam redux, patrem, si qua posset arte, flecteret. Hoc nuncio delectatus mirificè Desiderius pium adversus parentes bellum suscipit; eo fortior quòd contra naturam pugnabat gratia, & prioribus præliis pugnare vincendo didicerat. Subsidio venerunt orati ab adolescente Cardinales: ipse Clemens pueri lacrymis non minus quàm oratione permotus, Maeste virtute, inquit, ac Præposito Generali significa meis verbis ut omittat metum, & quæ sui sunt muneris exequi ne cunctetur. Tu vide ut in incæpto perites, & hujus diei memineris. Ille lacrymis iterum Pontificios pedes rigans, à tam longa tempestate in tirocinii Romani portum se recepit anno MDXCVI. Octobri exeunte. Cessere demum parentes tanto libentius, quanto acrius obstiterant; ac duos liberos in Societatis disciplinam Romano Seminario tradiderunt. Ipse annos undecim transegit in Societate, ad generosæ constantiæ mercedem citò evocatus à Superis: qui annos longiores ei velut creptos, & purpuram, cujus spes non dubias tam fortiter contempserat, ejus fratri Joanni Baptistæ Pallottæ postea reddiderunt. Adeò nihil parentibus petiit, cum filios Numini vocanti petentique donant!

Vicit Pallotta velut aperto Marte; vicit Nicolaus Placæus fugâ: quod victoria genus non minimam in arte bellica laudem habet. Divionensis erat hic adolescens: artem dicendi docebatur in collegio Parisino Societatis. Post exactos Lutetia Patres*, alios ibi magistros audiebat, qui faciundiam potissimum suam, exercebant vituperanda Societate. Hominum atrocitatem & convicia indignè tulit, ipsamque Societatem pluris inde fecit. Quamobrem clam parentibus Avenionem se contulit; ibique tirocinii domum ingredi parabat, cum pater, cognito filii discessu & consilio, in eandem urbem accelerat, instructus acerrimis marescalli Bironi, qui Burgundiam pro rege Gallia gubernabat, litteris ad Crillonum equitatus regii præfectum, Avenione tunc degentem. Illi Bironis paterna contra filium jura commendabat. Hoc metu percussus tirocinii rector Archiepiscopus, certiora facit. Præsul cum adolescentis patre ita constituit; adfuturum se certa die domi nostræ, cum delectis sacerdotibus; adsit ipse pariter & secum adducat quos velit: audituros juvenem, & quid factò sit opus judicatos. Adfuit die dicta, hinc antistes cum vicario suo, cum Societatis provinciæ præposito, & tirocinii rectore: inde pueri parens cum Crillono, cum scriba, & amicis aliquot. In hunc cœtum Placæus adducitur. Procidit ad genua parentis, & Filium, inquit, cernis, pater, ad tuos provolutum pedes: hunc amasti semper, & meminisse me pigebit nunquam. Amare, quæso, perge: patere me hic vivere, hic mori. Tuus esse non desinam: imo tuus eo magis futurus sum, quo Numini obsequentior; quo sanctioribus vinculis, & illi, & tibi, obligatus. Cur vocanti Deo patere me prohibes? cur felicem esse vetas? Dicentis ardor, & eminentis in vultu cum liberali pudore pietas, omnes defixos admiratione diu tenuit; Crillonum præter ceteros, qui piorum hominum lacrymas, ut muliebre vitium, ridere consueverat. Exciderunt nec opinanti & uberes & perquam fructuosæ. Nam hoc spectaculo ad æternæ salutis curam incitatus, vitam relegit omnem: & curatis animæ vulneribus, regendum se nostris permisit. Nec sicis oculis pueri pater stetit: triduum duntaxat postulavit, ut habere filium domi & periclitari posset. Hostem in parente per hoc triduum filius sensit eo severiorem, quo blandiorem. Excepit nihilominus occulta tela impune, atque incolumis, peracto triduo, rediit. At pater, velut lenitatem suam inculans, ad pugnam graviorem se accingit. Postulat obtinetque mensem integrum, ac juvenem domum reducit. Occurrunt alacres propinqui, sorores, amici; velut receptum redditumque sibi ac patri, amplectuntur, & omittere tristia consilia jubent. Alius opes largas ostentat, alius beatam ac florentem domum; hic locupletes nuptias; ille Principis favorem. Circumducitur per con-

53.
Generosa pueri
seculum defe-
rentis fuga.

*Vide Lib. XII.
n. 25. 30.

vivia, per omnia spectacula, per nobilium villas. Fumus humanarum rerum, & fluxæ felicitatis insidiosus fulgor oculis objicitur. Manet immota mens, & melioris vitæ amore capta, piis exercitationibus mendaces illecebras facile retundit. Elapso inter hæc mense, promissi patrem admonet. Pollicitus quippe fuerat, si post exactum mensem filius perstaret in sententia, fore ut nihil ei negotii amplius exhiberet. Assentiri se fingit parens; at cum adolescens Avenionem se reduci crederet, Parisios avehitur, & persequi studia literarum jubetur, datis affatim libris; pecunia tamen, ne tentaret fugam, penitus adempta. Sed quid generoso pectori, nudum sequenti Christum, & ad Crucem convolanti, arduum aut invium est? Juvenis, vendita parte vestium, ac libellis, viaticum tenuè conficit, quo per hibernas nives Avenionem quintodecimo die tenet. Inde scribit ad parentem; excusat fugam; salvum se lætumque Avenione degere nunciat. Ira percitum ac pudore, his cognitis, patrem pœnitentia paulatim subit, ac memoria præsertim votumque mortuæ conjugis; quæ concionantem audiens P. Edmundum Augerium ante aliquot annos, ejusque facundiam admirans, dixerat se prolem, quam gerebat utero, si virilis foret, dicare Deo; & illi quondam oratori similem optaverat. Nec inane penitus votum fuit: ac filium subinde suum mutatus parens, & nobis additissimus, in primariis regni templis audiri, & inter sacros oratores non infimum obtinere locum vidit.

Non unius tantum juvenis hæc fortitudo, hic animus exstitit: viginti eodem anno MDXCVI. adolescentes nobiles, pari ac Placæus desiderio succensi, Romam è Gallia venerunt, duce Erico à Lotharingia, Episcopo & Comite Virodunensi. Honorum ille lucem fugiens, delegerat Societatem, ubi delitescere tuto posset: in qua scilicet præclusum, interposita voti religione, sacris dignitatibus aditum noverat; Romamque contendebat, ut peteret a Summo Pontifice veniam pedi pastoralis deponendi. Etsi autem iter ingressus erat dissimulato consilio, latere tamen omnino non potuit: ac Mussipontani collegii rector illud subodoratus, ad Claudium Aquavivam scripserat, quanti interesset publicæ rei ut vir tantus Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula non abjiceret. Monitus à Præposito Generali Pontifex, Ericum in attributa statione jussit consistere. Gravior Aquavivam de illius comitibus angebat sollicitudo. Profugerant è Gallia, genere omnes & pietate clari; sed infæciis plerique invitisque parentibus. In tirocinii domum Virodunensem accipi non potuerat ob ejus angustias, & acerbiter rerum Gallicarum*. Satius igitur duxit ut illorum bona pars cum Erico rediret in patriam. Quinos Romanis tironibus addidit; alios remisit ad Virodunensem Probationis domicilium; nonnullos in aliud tempus distulit, molestiam & turbas ab eorum parentibus oriundas reformidans. At Ericus quod obtinere tunc à Pontifice Maximo & Aquaviva non potuerat, hoc ipsum post aliquot annos impetraturum se speravit sequestro ac deprecatore Cardinali Bellarmino; ad quem cum scripsisset, rescripsit Bellarminus in hæc verba.

Henrico à Lotharingia, Episcopo Virodunensi. Illustrissime & Reverendissime Domine. Binas uno tempore ab Illustrissima D. Vestra litteras accepi, quibus mihi duo negotia commendabantur, & præterea desiderium sanctæ animæ vestra aperiatur veniendi ad Urbem, dimittenda curæ pastoralis, & collocandi in tuto salutem sempiternam. Quod ad negotia attinet, faciam omnino quod potero, sed non multum potero: quia pendet ab aliis permultis, qui non facile juribus suis cedunt. Cum de re pecuniaria agitur, mirum est quàm multis difficultatibus negotia impediuntur. Quod verò ad pium desiderium pertinet adipiscendi pennas columbarum, & volandi ad locum dulcissimam quietis; dicam Illustrissima D. V. quod mihi occurrit. Non existimo solidiorem quietem, & veriore salutis securitatem in ulla re posse reperiri, quàm in Dei voluntate, tota animi devotione perscienda. Illam Domini vocem, præter ceteras, semper amavi: Pater transfer calicem hunc à me, veruntamen non mea sed tua voluntas fiat. Empti sumus pretio magno: proinde ut servi emptitii simplicem obedientiam Domino nostro debemus. Dum nobis conscientia nostra verè renunciet, nos non quævisse, non optasse, non elegisse locum altiore; nunc etiam bonorem temporalem nobis cordi non esse, hunc libentissimè deposituris, si liceret: non

Yyyy 2

video

54.

Ericus à Lotharingia Societatis candidatus, cū viginti adolescentibus Gallicis.

*Vide Lib. XII.

video cur in Dei voluntate per imperium Vicarii sui nobis expressè proposita acquiescere non debeamus. Pastorale onus grave est, sollicitudine, & periculo plenum: nec minus fortasse gravis & periculosa est dignitas Cardinalitia. Si opifisci, atque emptori nostro placuit nos in has angustias & pericula vocare; qui sumus nos, qui dicamus illi cur ita fecisti? Qui nos dilexit, & animam suam pro nobis posuit, dicere dignatus est Petro, & in eo Pastoribus omnibus. Si amas me, pasce oves meas. Quis igitur erit, qui audeat Domino respondere, nolo pascere oves tuas, ne perdam salutem meam, nisi qui non Deum, sed se ipse amat? Verus Dei amator cum Apostolo dicit: Malo anatHEMA esse à Christo pro fratribus meis, quàm non subire sarcinam, quam mihi Dei amor imposuit. Sed neque periculum salutis ullum esse potest, ubi regnat caritas. Nam etsi ex ignorantia, vel infirmitate humana in multis labamur, tamen caritas operit multitudinem peccatorum. Illustrissime & amantissime Domine, si ulla spes esset, ut cum Dei beneplacito, & Vicarii ipsius benedictione ad quietem religionis D.V. venire, & ego redire, possemus; id certè omnino eligendum esset: sed quia spes ejusmodi nulla affulget; propterea scripsi quod scripsi: & quod mihi frequenter dico, sancta anima vestra, quam propter onus pastorale angi video, dicere vultui. Si per negotia licuisset D.V. Romam venire, rem gratissimam non solum mihi, sed & Cardinali Baronio, & aliis permultis fecisset: sed quando presentia vestra frui nobis non licet; saltem orationum vestrarum solatio, & suffragio non destituamur. Roma die 6. Novemb. 1601. Quod obtinere non potuit Erricus à Lotharingia, hoc ejus consanguineus adeptus est, Carolus à Lotharingia, qui Societatem amplexus anno MDCXXII. dignum se Ignatio alumnum præbuit.

Origenem olim narrant, martyrii cupiditate flagrantem, domo puerulum profugisse, vestibus relictis, quas parentes, ne prodiret, occultaverant: simile quidpiam de P. Carolo Pharaone Annales nostri tradunt: qui cum ambitret Societatem, videretque sibi à parentibus, quam enixè petebat facultatem negari, nudus, & linteo solo involutus, domum Probationis à paternis ædibus profugit. Sanè religiosa vita, si Bernardo credimus, martyrium est horrore quidem mirius, sed diuturnitate molestius. Hic illustri factò vocationem religiosam defendit; Basilii Bengochea, nobilis pariter adolescens, eandem prudenti dicto retinuit. Irrepperat insciis parentibus in Ovetensem Probationis domum, negabatque se abiturum. Instabat contra pater, & filium repetebat, armatus Castellæ senatus decreto, quo juvenis exire domo Probationis, & suis restitui jubebatur. Anxios Patres liberavit non levi sollicitudine puer ingeniosus. Promisit se discessurum, si, de gravium theologorum sententia, manere sine gravi noxa non posset. Assensit parens, fori quàm theologia peritior: erat enim regius in Aragonia celeberrimeque iudex. Theologos, id qui affirmarent, cum non inveniret, novitius in possessione mansit. Non dissimilis animus alterius cujusdam anno MDCI. tironis fuit, sed acrior pugna. Cum fugam è paterna domo ad novitios Avenionenses caperet, obvium habuit fratrem, cui fraterna consilia jamdudum suboluerant. Dum ab eo retinetur in limine, injecta manu, non sine clamoribus & altercatione, pallium, quo attingebatur, dimisit: & ex Ægypto in monstratam divinitus terram eo lætior, quo levior & expeditior, evolavit. Ad clamorem excitatus amborum parens, ubi rescivit factum, procurrit Avenionem. Filium minis primo, deinde blanditiis læcessit, sed utriusque fortioerem. Rursum paternam objicit auctoritatem, imperio remisit preces, demum abjicit se ad pueri pedes, muliebriter ejulans. Advolvitur vicissim genibus parentis mæstus, at fortis puer; & ne filio vitæ melioris conditionem carissimus pater invidet, obstatur. Hærebant stentes tacitique, alter in alterius complexu: neuter tamen cedebat alteri: donec senex ira & dolore animam intercludentibus, repente concidit. Accurritur; relevant, fovent, consolantur. Adolescens ad Deiparam confugit, obsecrans ut meliorem patri mentem subjiceret. Annuit precibus Virgo: senex domum placatior se retulit. Pugnam hanc feliciter confectam excepit altera, nec minus adolescenti gloriosa. Tumultuantur affines: raptum patri filium, & abductum fraude mala clamitant; neque ratio commodior ad mitigandos animos visa, quàm si patriam juvenis ipsa peteret; ac tempestatem, quam concitaverat, sedaret. Jam ea tironis virtus erat, que

quæ in hoc certamen committi tuto posset. Ivit, nec affines convenisse privatim & placasse contentus, prodiit in concionem, deque dignitate divini obsequii, ac religiosæ vitæ utilitatibus tam luculenter & piè peroravit, ut approbanti populo suum quoque suffragium adscribere familia omnis coacta fuerit.

Servandarum ardor animarum nobilem Anglum adolescentem Thomam Pennum impulerat Societatem ut ambiret. Deus, cujus æterna nos latent consilia, sancti desiderii mercedem illi maturam rependit; ulterius ut progredere noluit. Faciebat stipendia in exercitu Anglicano Bononiæ in Gallia, hæresi adhuc infectus. Ab amico suaviter ad concionem in templo nostro perducitur. Audivit; vidit veritatem & amavit; ac simul acri succensus est cupiditate nuncium armis profanis & seculo remittendi. Audomaropolim festinat: admittitur in Seminarium Societatis: at lenta confectus febricula tabescebat. Revisere patriam cogitur à medicis. Ad matrem hæreticam, ad obstinatos in errore cognatos ne revertetur, delituit, in patria gloriosus exul. Cum tamen cœlum natale nihil ejus valerudinem adjuvaret; metuens ne inter hostes Fidei supremus ipsum dies occuparet, Audomaropolim infalutata matre se retulit: ac Societatem, ut in ea saltem moreretur, enixè postulavit. Negari, quamvis ægro & nullam spem salutis ostendenti, non potuit quod Deo, ut fatis apparebat, impellente flagitabat. Expectandum tamen P. Provinciæ Præpositi responsum censuit collegii rector, aut P. Visitatoris, qui propius aberat. Sed moram quantulumcumque non ferebat ingravescens morbus. Tunc rector instinctu arcano motus, Quoniam, inquit, te jam nostrum agnoscimus, neque quidquam nobis obedientiâ potius est, age sane, ut vivas tandiu, dum optatæ litteræ perferantur, jubeo. Sensit imperium morbus, & se remisit. Adolescens, perlatis denique litteris, quasi hoc unum præstolaretur, edidit vora; & Socios suavissimè complexus, ex hac vita migravit.

In Messanenfi Probationis domo numerus erat ingens lectissimæ juventutis anno MDCV. Pietas & constantia par. In iis dignus videtur juvenis, cujus virtutem historia non fletat. Erant nobili & opulentæ matronæ Messanenfi quatuor filii. Horum tres Societatem ingressi quartum exemplo pellexerant, nec ullis eum precibus aut minis avocare mater ab imitandis fratribus poterat. Venit igitur ad Patres supplex: rogat enixè saltem ut sibi ac familiæ suæ solatium istud & columen relinquat. Enimvero affirmant nunquam admissum iri adolescentem ipsa invita: puer negat aliam sibi vitæ conditionem ac fratribus futuram. Iratæ majorem in modum parens eum colloquio & aspectu fratrum arcet; castigat verbis durioribus; demum testamento, si vitam capessat religiosam, exheredem scribit. Quid juvant tot vincula, cum Christus trahit? Rupit ea generosus adolescens, & exheres ac nudus Christum vocantem sequutus est.

Plus multo dimicationis cum alia matrona ejusque adolescente filio, Parmæ fuit. Priusquam ille ad tirones aggregaretur putavit matrem de suo consilio faciendam esse certiozem. Nihil ab ea videbatur imminere periculi; quippe studiosâ pietatis, & nostri nominis amicâ. Sed quam raro naturam pietas vincit! quam ægre maternus amor cedit! Simulat matrona se boni omnia consulere: brevem nihilominus impetrat moram; ac filium interea donis, promissis, nuptiarum amplissimarum conditionibus, expugnare studet. Sensit insidias adolescens; ac matrem in secretum advocat conclavè, quasi cum ipsa de negotio majoris momenti, remotis arbitris, acturus; nec lacrimas illa tenuit, fatis gnara quid filius vellet. Ubi vero explicatius mentem suam aperuit adolescens, tanto marore oppressa est, ut quot ille verba mitteret, tot spiculis ea perfodi videretur. Accurrit trepida familia, & facto velut impetu, juvenem machinis omnibus adoritur per dies decem: manus prope dedit. Unus angebat illum præcipuè metus, una religio, tanto periculosior, quanto speciem pietatis majorem præ se ferebat. Verebatur ne si diutius resisteret matri, dolore victa interiret. Nutantem soror, virgo Christo dicata confirmavit virili oratione; imbecillitatem exprobrans, & Christum ipsi parentum & omnium rerum loco debere esse dictitans. Pudore incensus adolescens propositum urgere statuit. Mater, adhibitâ nequicquam ad eum expugnandum consanguineis, denique virum insigni auctoritate & eloquentia præditum

sub-

55.
Religiosæ vitæ
vel in ipsa mor-
te amor.

56.
Parentes & con-
sanguinei à for-
tibus novitiis
expugnati.

submitit; qui omnibus dicendi lenociniis mentem teneram captans, agnovit humanam sapientiam divinæ, quæ in puero loquebatur, non posse resistere. Ad ipsum denique Parmæ Ducem supplex ac mæsta parens adit, filiumque repetit. Dux prudentissimus, audito adolescente, auctor matronæ fuit ut incepto desisteret, nec sibi filioque perniciem à Superis ultoribus arcefferet. Inops consilii auxiliique misera mater, ipsa per se se constituit experiri extrema omnia; postulat ut filii videndi copia sibi fiat, saltem in templo. Diu reluctatus adest. Omnes in formas amor ingeniosus parentem anxiam convertit: precibus minas, imperia blanditiis, silentium stetibus, miscuit. Vix temperabant à lacrymis qui aderant. Solus juvenis, oculos immobiles defigens solo stabat, sibi exploratam Dei voluntatem esse affirmans, se Deo duce id cepisse consilii, eodem duce & auspice quod inchoasset perfecturum. Tum subito procumbens in genua, Peto mater, inquit, ut benedicere filio amantissimo velis. Precantur idem omnes: jamque adstantium comploratione concursuque propemodum expugnata manum ad benedicendum attollebat, cum exurgens, Apage te, exclamat, neque matrem posthac voca, quam denique mori coges: & furiosa discedit. Postea tamen se collegit, & filii constantiam admirans, ut ipsi res bene verteret pie precata est.

Magnum profecto virilis animi documentum in provincia Veneta dederunt nostri tirones anno MDCVI. cum ex urbibus Venetæ ditionis cedere coacti fuimus*. Molles furculos Societati recens inritos non fregit repentinus turbo; gemmas è tenero cortice vix erumpentes tam tristic pruina non decussit. Patavii degabant quatuor & quadraginta; ex iis complures Patavio ipso & Venetiis oriundi. Pulcrum fuit cernere pueros militiæ Christi vixdum adscriptos, inter parentum, amicorum, & propinquorum complexus lacrimasque, siccis oculis ac serena fronte in exilium voluntarium proficisci; & quæ semel pro Christo dimiserant, iterum quasi relinquere. Spectaculo civibus erat; credo item cœlitibus, adolescentum modestia in direptione domus; alacritas in perferenda plebecula protervia, satellitum ac militum atrocitate; demum itineris, propter multarum rerum penuriam, incommodis. Accessit aliud, ad commendandam teneri gregis constantiam præclarum. Promulgato Venetiis decreto cavebatur ne religiosarum familiarum tironibus, qui cessissent urbe, jus ullum in paterna bona foret, nisi patriam repperent intra mensem. Hoc metu adéo non debilitati juveniles animi fuere, ut unus adolescens, cui promissa quidem ante aliquot menses Societas, at nondum data fuerat, contemplatus Patres navim conscendentes, in eandem se conjecerit; initium tirocinii ab illustri exilio facturus.

Dignus quoque annalium memoria juvenis alter, cui ut fuerunt majora subeunda certamina, sic laus constantiæ major debetur. Is honesto genere Venetiis natus ternos fratres patrimonii locupletis heredes reliquerat, ut cœlestem thesaurum in Societate compararet. Vix religiosæ vitæ agrum, in quo præcipuè thesaurus iste latet, suis omnibus fortunis emerat*, cum ejus mater ac fratres duo migrant ex hac vita. Supererant soror nubilis ac tertius frater: sed ille procul in Germania negotiorum gravi & molesta procuratione districtus tenebatur. Continuo tironem propinqui urgent ut in vacuum obitu fratrum succedat hereditatem; & rei familiari, superstitis fratris absentia destitutæ, subveniat. Cum nec spe, nec precibus, nec sororis orbitate, aut fortunarum periculo moveretur, advolavit frater ipsius è Germania; sed Venetias ingressus in morbum incidit, mox negotii male gesti causa in carcerem conjicitur. Interim Societas Venetiis cessit. Rursum igitur juvenem familiares & propinqui obtestantur ut dimissam ab urbe Societatem dimittat ipse quoque: opportunitatem dari magnam rei sine dedecore conficiendæ: unum esse qui sustinere familiam ruentem possit. Surdis auribus jactata omnia: stetit invictus puer, ac rerum, quas non jam suas ducebat, curam partim iis ipsis quorum intererat, partim Societati permisit.

Hic opum cupiditati & caritati affinium generosè restitit: alius intentato etiam necis terrore & cruciatu fortior in Polonia fuit. Educatus in aula Principis hæretici, & omnibus prævæ sectæ mysteriis diligenter institutus; cum spem magnam ejus aliquando propagandæ faceret, propter ingenii perspicaciam & indolis bonitatem;

* Lib. XII. §. VI.

* Venit universa que habet, & emit agrum illi. Matth. 13.

nitatem; venit, Deo ducente, Califfium, Poloniae urbem: ubi oborta cœlesti luce, deposuit hæresim, & in Societatem se recepit. Peraço tirocinio, Lublinum studiorum causa missus, obvium in itinere dynasten hunc hæreticum habuit, cujus domi fuerat educatus. Ab eo catenis oneratus est. Trahebatur adolescens religiosus à duobus satellitibus, latronis instar, inter catholicorum gemitus, & hæreticorum ludibria. Postquam in oppidum & aedes Principis ventum est, vocantur adolescentis parentes, illisque jactura fortunarum & exilium indicitur, nisi filium de sententia moveant. Nullis lacrymis aut precibus movetur juvenis. Vocantur doctores erroris, theologiæ profanæ magistri, & vincuntur. Viris in hac arena vicis succedit femina, uxor Principis, patrona hæreseos. Arma feminea distulavit modestus & eloquens puer, ac proterviam fregit. Perferuntur interim ab antistite Cracoviensi ad dynastem litteræ, & à Posnaniensi Palatino, quibus rogabatur ut missum adolescentem faceret, ac Societati redderet. Ille vero adeo istis permotus non est, ut etiam illi ferreas injecerit compedes, vestem militarem malè curtam imposuerit, inedia torserit, omnibus denique modis pessime multaverit. Sex menses abierant; nihil de sævitia barbarus, nihil adolescens de constantia remittebat. Ventitabant clam ad eum in sordido jacentem & vincum angulo famuli, quos Christianis mysteriis imbuebat. Eorum operâ scripsit ad sacerdotem Societatis, quo magistro novitiorum usus fuerat; negabat se latiore unquam exstitisse: gratias immortales agebat Deo quod dignus haberetur, qui pro nomine & Societate Jesu quidpiam incommodi toleraret: atrociora deprecabatur. Interim à famulis commiseratione moris illi subministratur lima, qua sensim compedes attrivit. Iis comminutis evolat ante lucem; relicto quod in vinculis elucubraverat, carmine, & ad hæretici delubri valvas affixo. In fuga chartas quasdam à se scriptas & discerptas per viam dissipavit: ipse oppositum iter institit, ac milites indicia chartarum secutos eludens, ad amicam facti conscium, inde in vicinas Societatis aedes evasit.

Est hoc in more Societatis positum, ut novitii piam aliquam peregrinationem obeant, in qua & exercendæ & probandæ virtutis non paucas occasiones nanciscuntur. Roma profecti anno MDCVIII. docendo passim obvios, & adversa multa perferendo, pulcherrima vitæ Apostolicæ rudimenta posuerunt. Ultra se victu necessario defraudabant, ut egentibus, quos annonæ vexabat caritas, benigne facerent: nec ostiatim pigebat corrogare quod aliis erogarent. Adiungebant se facinorosis, quos eadem obtulerat via, eosque salutaribus consiliis instruebant. Quin hæreticum hominem reduxerunt in rectum veritatis iter: catholicum alium, fugam turpem ad Mahometanos meditantem in Fide continerunt: alium æstuantem vindictæ cupiditate inflexerunt ad concordiam: qui deinde gratias agens Deo maximas, quod istos sibi angelos salutis duces misisset, hospitio fessos, beneficii memor excepit. Alii haud segnius in Urbe, quàm isti foris, rem gesserunt. Domo tres prodierant auræ liberioris circa pomerium captandæ causa. Mendicum conspiciantur incubantem vili stramento, & lamentabili questu prætereuntes inclamantem. Lurida facies, arida corpore in exsucco pellis; ulcera putrida sanie fluebant ac tabo. Subeunt propius, rogitant quid velit. Ut aliquis me deportet in nosocomium. Præsto sumus: ac dicto citius palliis injectis fere nudum operiunt: duo submissis utrinque brachiis medium excipiunt, tertius collum caputque sustentat. Ea res incredibile dictu est quàm multos ad Dei Societatisque laudem, exciverit: nec verba tantum, sed operam & manus plerique admiratione moti attulerunt, multi liberaliter stipem ingessere; plurimi pios gerulos plausu & secundo clamore sequebantur. Venere tandem in vicinum valetudinarium; at occupatis ægrorum multitudine cubilibus, novum hospitem ibi deponere non licuit. Ergo in aliud procul perreptandum, aucto semper concurrentium & approbantium agmine. Osculati dulce pondus tirones, gratis à mendico & à populo circumstante actis, domum se retulerunt, bene feriatum diem existimantes. Sic arma evangelica tractare discunt pueri, quæ annis procedentibus expediant in acie justa viri. Imitatus illos rectius fuisset infelix adolescens, qui admissus Colonia in Societatem, dum alia versat consilia, & domi sedet imminentis exitii securus, tantam vim sanguinis evomuit, ut nulla medicorum arte inhiberi potuerit. Monitus

de

57.
Apostolicæ vitæ
rudimenta in
novitiis.

de confessione peccatorum instituenda, illam in sequentem diem distulit: sed diem sequentem non vidit, & nocte per summos dolores exacta, misere perit. At puero Avenionensi parens inconsultus exitium attulit. Interceptum filium per homines appositos, cum peteret domum probationis, abduxit, exploraturus constantiam, vel potius labefacturum pietatem, ut brevi contigit. Nec secuta tardo pedum rixâ ganeones, explosis derepente ferreis fistulis, exanimem straverunt, intactis qui adstabant lateri, aliquot pueris. Excitatus repentino tumultu parens accurrit, & in confossi filii cruento cadavere suum scelus agnovit. Alteri eadem in civitate divinitus concessa vita fuit, ut longiores perfidiæ pœnas exsolveret. Periculoso languens morbo S. Ignatii opem imploraverat, votumque conceperat religiosa militia sub ejus vexillo capeffendâ. Postea oblitus voti, oblitus beneficii, aliam vitam, alios mores induit. Rediit morbus multò violentior: luxatis contra&stique turpiter membris, ligneis furcillis agrè nitens, deforme spectaculum, simulque documentum, intuentibus exhibuit.

58.

Adolescens ad vitam religiosam eventu memorabili adductus.

Divinæ pariter Justitiæ exemplo, quamvis dissimili, excitatus Germanus adolescens è seculo fugit in Societatem anno MDCIX. Iter habebat Fuldâ, quod oppidum est Germaniæ haud ignobile. Ibi sacerdos obierat, Fide quidem ac religione integra, sed moribus corruptissimis. Inter cetera flagitia, quæ enumerare longum sit, scortum pene justæ uxoris loco alebat domi. Corruptus morbo, & in ultimum adductus discrimen, de muliercula dimittenda cogitavit, ac sacerdotem Societatis accessit. Quod ubi sensit illa, expedit lacrymas, preces adhibet: obtestatur ut molestas, & inimicas restituendæ valetudini, confessionis curas omittat, vel paulisper differat: brevi fore ut convalescat; ita polliceri ac sperare medicos: nec à se quidquam desideratum iri, quo spem illorum ratam faciat. Credit infelix; & lacrymis, precibus; atque adeo prava flagitii consuetudine victus, veram illam exitio suo probavit esse vocem, *Qui pœnitenti veniam spondit, peccanti crastinum non promittit*. Ingravescit repente morbus, conclamatur æger, amici ac vicini accurrunt. Moriens sacrum illud pœnitentium carmen immurmurabat, *Miserere mei Deus*. Parantur solennes exequiæ à locupletibus cognatis: & quia non leve fortunati obitus omen ac solatium ex eo ducebant, quod sacris ejusmodi verbis pronunciandis esset immortalis, jubent ejus simulacrum ex marmore ad tumulum statui, cum libro, cui cernebantur insculpta illa ipsa verba, *Miserere mei Deus*, grandioribus & inauratis characteribus. Opere perfectò, cum omnes ad visendam sepulcri nobilis molem concurrerent, animadvertunt desiderari postremas sacri versiculi voces, ac restare solas quinque litteras, *Miser*: reliquarum vestigium exstabat nullum. Funeris curatores attoniti; & flagitiosæ, quam sine sacramentorum præsidio sacerdos impius clauserat, vitæ conscii, manum operi velut imperfecto admoveri jubent. Reponuntur sedulo litterarum elementa. Sed frustra. Quàm nullo usu sacras voces mendax lingua cecinerat, easdem tam vano labore in infami busto incidere ars elusa studuit. Postridie, derasis reliquis, solum ferale verbum, *Miser*, apparuit: neque amplius manifestæ Numinis seram pœnitentiam condemnantis sententiæ repugnare quisquam ausus est, ac reliquas pii carminis partes attexere. Sic memorabile cœlestis iræ monumentum, & visendum posteris elogium triste mansit. Quod adolescens cum legeret, tantus bonæ mentis juvenem divinæ justitiæ terror invasit, ut beneficium Ecclesiasticum, jam paratum ac desponsum, ultro abdicaverit, Romamque, ad jacienda vitæ religiosæ fundamenta, se contulerit.

59.

Novitii prohibita admirationi Mahometanis est.

Solverant è portu Balearico facturi vela in Hispaniam Socii decem anno MDCIX. Navim probe instructam Algerianæ rates quinque invadunt. Certatum acriter totis sex horis. Turcæ factò in debellatum denique navigium impetu, milites, vectores, nautas, alios immanitate barbara contrucidant, alios constringunt vinculis. Nostros homines contumeliis affectos archipirata Lutheranus instantinam detrudit, cum vulneratorum & morientium turba miserabili. Perventum est Algerium quatrduo. Captivi expositi conjiciuntur in angustum & humidum ergastulum, cujus fetore vir Dominicanæ familiæ religiosus, & adolescens candi-

datus

datus Societatis, eneſti ſunt. Reliqui è noſtris gravibus morbis vexati vitam ægre admodum retinuerunt. Venales in foro deinde omnes propoſiti varios heros fortiuntur. Plurimum timebatur tribus è Societate tironibus, quorum ætas virtuſque tenera majoribus patebat infidiis. Unum pretio non levi mercatus eſt Turca nobilis, ea mente ut juvenem, indole ac forma liberali præditum, ad Mahometanam traduceret ſuperſtitionem, & heredem adoptaret ſibi. Ergo Turcica veſte quamlibet invitum ac reſiſtantem induit: adjicit alia, quæ tantam ſpem decerent, ornamenta. Non tulit dia perſonam alienam fortis adoleſcens: deripit veſtem, Turcicum capitis tegmen proterit; reſiſtam in ſummo vertice capillorum partem, quod inſigne quoddam ac profeſſio ſacrilegæ religionis eſt, reſecat: Mahometem execratur. Quid audierit ab hero impotente, quid tulerit, conjici facile poteſt. Debilitatus fuſſibus, vulneribus & cruore coopertus, vicit. Nunquam ſibi viſam anguſtiorẽ Chriſtianæ ſpeciem religionis faſſus eſt herus infamis, ac tantam virtutem indignam ratus, quæ diutius ſervitute premeretur, adoleſcentem facile paſſus eſt in libertatem vindicari. Eadem reliquis, poſt ſimilia certamina, pariſque victorias, licet paulo tardius, nec niſi poſt meſes undecim, eſt reddita.

Memorable quiddam habet P. Caroli Floydi ingreſſus in Societatem. Olim Anglicani Romæ collegii alumnus, & præferoci adoleſcens ingenio, magna turbarum pars fuerat, quibus Anglicanum illud Seminarium, ut explicatum eſt Libro XIII. jaſtatum diu fuit, ac pænè convuſum. Non mediocrem apud æquales doctrinæ ac probitatis collegerat opinionem. Quo plus illi credebatur, eo gravius nocebat. Reverſus in patriam turbare, ac popularium odia in Patres Societatis accendere perrexit. Sed captus, & catholicum ob nomen conjeſtus in vincula, denique capite damnatus, aperuit oculos, quos vitioſa cupiditas, & imbuta felle malevolentia excæcarat. Tantus eum inceſſit odii contra nos inique ſuſcepti dolor, ut crimen fatiſ expiari non poſſe putaverit, niſi Deo ſe totum in ipſa Societate devoveret: ac ne mutandæ mentis facultas eſſet, voti religionem interpoſuit. Interim amicorum cura nummiſque carcerem, ac necis indiſtæ pœnam exilio mutavit. Romam nihil cunſtatus contendit pedes, veniam à Patribus, proſuſis lacrymis, oravit; neque prius conquievit, quàm à Præpoſito Generali acciperetur in Societatem: in qua tirocinium anno MDCXI. ſingulari pietatis laude poſuit.

Quanto laudabilior tot illuſtrium, quos hætenus recenſuimus, tironum virtus; tanto foedior eſt nonnullorum, vel inito tirocinio, vel editis etiam votis, à Societate recedentium levitas; tanto pœna, quam ultori Deo perſolvunt, juſtior. Illud ipſe confeſſus olim fuit impiæ defeſionis non ſemel reus, Chriſtianus Frankenius*, in litteris anno MDXCIII. ad Aquavivam ſcriptis, in quibus ſuum deplorat infortunium, & aliorum, qui poſtquam à Societate deſciverunt, aut citâ morte, inquit, rapiuntur; aut in crapula & Venere demerſi, vitam infelicem ac foedam trahunt. Subdit mortem à ſe vocatam ſæpius, adeo ipſum pudebat ſui ac pœnitebat! Quibus è verbis vindicem in ejuſmodi deſertores Dei præpoſentis manum facile quis agnoſcat. Docuit hoc ipſum Georgius Thurinus. Annos plus viginti vixerat in Societate, acer, ingenioſus, & eloquens; quod illi fraudi fuit. Dum enim his phaleris, neglecta virtute, nimium gaudet, auraque populari paſcitur, faſtidire cœpit Societatem, ut anguſtam ſuis votis, meritis iniquam, gloriæ invidentem. Ergo, rupta quam illi & Chriſto dederat, fide, non mediocrem boni concionatoris, id quod cupidiffime ambiebat, famam adeptus eſt, ac præcipuum etiam dignitatis Eccleſiaſticae, in æde primaria Lovaniënſi, locum. Is primus pœnæ gradus fuit. Succellus ingens leves animos male inſtat; locus editior infirmo capiti vertiginem incutit, & ad exitium eſt præceps. Quam hætenus utcumque coluerat, deſpicere atque inſectari Societatem cœpit: cujus tamen veluti lacte nutritus, ad hanc eruditionis & famæ amplitudinem adoleverat. Inter hæc Trudonopolim negotii cauſa proficiſcitur. Ibi luſtrabatur exercitus. Stabat compoſita in foro acies, & in ſuos ordines deſcripta. Convenerat ſpectandi ſtudio civitas: aderat ipſe cum urbis gubernatore, in meniano conſpicuus. Dum in

Partis V. Hiſt. Soc. Ieſu Tom. II.

Zzzzz

auras

60.
P. Caroli Floyd
di vocatio ad
Societatem.

S. XXVII.
ALIIQUI DESERTORES SOCIETATIS GRAVIBUS ÆRUMNIS, AUT MORTE LUCTUOSA MULTATI.

* Part. V. Lib. I.
n. 158. Lib. V. 99.

auras inanes, ut fit, exploduntur à militibus ferrei tubuli; unus casu, vel potius divina manu regente, illi utrumque pedem, quem è Societate male exulerat, nemine omnium qui spectabant in conferta circum turba, violato, trajicit. Confractis ossibus, in vicinas aedes, ac triduo post ad tumulum, elatus est.

61.
Bartholomæi
Blondi lucu-
sus exitus.

Degebat in Romana Professorum domo P. Bartholomæus Blondus, gratia & auctoritate apud principes civitatis, eloquentiæ fama non vulgari apud populum, florens. Oris dignitas erat magna, magna sermonis & profluens copia: facilitas in familiari congressu & elegantia singularis; virtus modica, torque dotibus acceptis à natura nequaquam par. Ita; quantum externis ac primoribus nonnullis placebat, voluptatem ex ejus ingenio ad omnes delicias urbanitatis mire facto captantibus; tantum displicebat Aquavivæ, Sociisque primariis, aliud in Societatis sacerdote quærentibus: adeo ut ad Novellariensem probationis domum fuerit ablegatus, ut vel pœnas lueret loci solitudine; vel indolem, objectis tirocinii exemplis, emendaret. Sed morbo tentatus, Romam brevi ad natale solum revocandus fuit. Ibi, dum comitate sermonis, & concionum celebritate, insinuat se in virorum illustrium familiaritatem; dum in seculi nugis totus est, religiose disciplinæ immemor, privatis commodis deditus, dicenda pariter ac tacenda effutiens; magnam attulit nostris sollicitudinem, quorsum hæc evaderent metuentibus. Sæpe animum juveniliter evagantem circumscribere tentaverat Aquavivæ: sæpe devincire solita benignitate, aliàs minis perterrefacere: nihil istis artibus profecerat. Blondus adversus increpantem ferox, contra blandientem protervus, vix spei quidquam bonæ reliquum faciebat. Nec promptum erat dimittere hominem è Societate, tanta patronorum auctoritate gratiaque subnixum. Consul-tus Pontifex rem arbitrio Præpositi Generalis permittit; negans per se stare quin abire juberetur, si Societatis rationes id postulerent. Itaque pridie Cal. Sextiles anni MDXCVI. dimissus est, offensione publica, quam plerique timuerant, planè nulla: maxima etiam instituti nostri commendatione, in quo nihil esse antiquius virtute vera intellectum est. Aliquos tamen Aquavivæ justa severitas ab eo tantisper abalienavit. Ægrè scilicet ferebant hunc à nobis rejici, quem ipsi tandiu inamicitiam recepissent. Sed considerato attentius Blondo, errorem ultro deposuerunt. Ipse Societatis veste ac nomine, tanquam secundo vento, defectus, cum in Urbe concionari cœpisset, ita relanguit, ut medio in curriculo conciones omittere coactus sit. Gravibus postea diurnisque morbis implicitus, demum scabie quadam coopertus, vitam insuavem diu traxit. Ac ne quis ultorem Deum instare misero dubitaret, admotis oculo uni male sano Sancti Ignatii reliquiis, utrumque prorsus amisit: quasi degenerem filium Ignatius non agnosceret. Atque utinam saltem animo cæcutienti reddita lux fuisset! Sed eò vesaniæ processit, ut Superum conspectu & colloquio dignatum se diceret, ex iisque cognovisse vitam sibi ad plures adhuc annos superstitem ac salvam fore. Qua spe deceptus, dum consilia medentium negligit, extremisque sacramentis communire se spernit, mortem salutaribus præsidibus destitutam obiit. Vulgata res illos dedocuit, quibus fucum fecerat: simulque ostendit in religiosis viris externam quandam honestatis, elegantiam, facundiam speciem, tanquam florem, cito marcescere, cum germanæ radix virtutis exaruit.

62.
Marcus Anto-
nius de Domi-
nis è Societate
dimissus.

Non Societati tantum, sed Ecclesiæ toti gravis fuit Marcus Antonius de Dominis, à nobis dimissus, inter quos ab anno MDLXXIX. ita versatus fuerat, ut eruditionis, eloquentiæ, & ingenii famam obtineret majorem, quam religiose pietatis ac prudentiæ. Quamobrem Claudius Aquaviva Romam illum evocavit, ut ambiguam indolem coram facilius regeret, aut corrigeret. Interim Episcopus Segniæ, in Dalmatia, Antonii patruelis, illum experit. Profectus in Dalmatiam est: ubi licentius quàm religiosum virum decet, agere, & mentem erroribus peregrinis inquinare cœpit: tum etiam ambire honores Ecclesiasticos, eoque patrocinia externorum principum & amicorum corrogare. Itaque per ipsos effectit ut Segniensis Episcopatus sibi mandaretur: ac simul missionem è Societate postulavit. Præpositus Generalis ratus amicè & honestè dimitendum, qui retineri

præte-

præterea non poterat, illum votis simplicibus (iis enim obstrictus tantum erat) post annos duodeviginti, quos egerat in Societate, solvit anno MDXCVII. Quem vitæ postea cursum tenuerit, si quis avet scire, cognoscat è variis scriptoribus*. Ad Spalatensem in eadem Dalmatia proventus Archiepiscopatum, eo abdicato in Angliam, hæreticorum promissis allectus, anno MDCIII. se contulit, iisque ut gratificaretur, librum de *Republica Christiana* in lucem edidit. Cum tamen se proborum omnium odiis & sinistra laborare fama cerneret, Romam, hortantibus amicis, venit anno MDCXII. & errores confessus ac detestatus est. Sed brevi rediit ad ingenium. Itaque deprehensio litterarum, quod illi cum hæreticis erat, commercio, in molem Adriani coniectus, in ea diem supremum tertio post anno* clausit. Detecta postmodum hominis impietate, ac flagitiis gravioribus, quæ dum viveret, tenebris involvere studuerat, infelices reliquæ tumulo eruta; & in ipso Floræ Campo, quæ Urbis platea celebratissima, cum scriptis exultæ sunt.

Minore quidem strepitu, ac exitio non leviori penas deserit Societatis dedit Raphael Baslides, patria Ruthenus, nobilis familia; at schismatica, catholica soboles. Eam ob rem parentibus ac propinquis invisus, in Pontificium Vilnæ Seminarium, ac deinde in Societatem receptus fuerat. Sed qui tantam præ se tulerat in catholica Fide contra propinquorum odia minasque retinenda constantiam, levissimis difficultatibus ac molestiis turpiter expugnatus est: & qui strictos contempserat gladios, spinis quibus religiosæ cinguntur rosæ, confixus perit. Primum illum pietatis gustum, quo tanquam lacte novitia virtus alitur, exarescere sensim passus, delicta leviora parvi facere; obsequi animo; bene admonentes aspernari; eo denique prolabi, ut omnibus, quæ mentem agram restituere poterant, remediis frustra tentatis, amandatus fuerit. Recepit se in fraternam villam ubi dum silvam, quæ cadebatur, invisit, sub annosam & ruentem quercum incurrens, mole immanis trunci prostratus, & eodem loci ac temporis vestigio sic obtritatus est, ut sparsum late cerebrum, & ossa capitis comminuta, vix colligi ad sepulturam potuerint.

Matthias Fringerus, in domesticæ rei adiutorum ordine collocatus, excussit jugum obedientiæ, cui collum pervicax per annos quatuordecim nunquam, ut par est, subjecerat, & à sacra militia transfugit ad profanam. Sed in hac nihilo quàm in illa obsequentior, duriora hominum esse imperia, quàm Christi, sensit. Vexillum sequi, agere exubias, pernoctare sub dio, audire centurionis nutum, & certam ad mortem illo jubente ruere, durum otioso congerroni atque intolerabile visum est. Monitus non semel verbis ac verberibus, assignatam tamen stationem in castris deseruit. Ergo violatæ disciplinæ damnatus Viennæ, ante collegii fores raptus est ad militare supplicium: ibi epim platæa flagitiosis ejusmodi plectendis opportuna. Locus ipse cogitationem iniecit pristinæ conditionis. Agnovit ultro penas luere se desertæ Societatis; neque sibi ex eo tempore diem ullum serenum illuxisse confessus est. Extremo in discrimine opem illorum imploravit, à quibus desciverat; eorumque benignitati & curæ salutem suam credidit, quorum in cœtu & sanctius vivere, & honestius mori potuisset.

Alius item rei domesticæ administer, in collegio Moguntino, nescio quid corraferat litterarum aut è libris furtim volutatis, aut è quotidiana cum viris aliquot litteratis consuetudine. Putavit homo sui malus æstimator culinam, aut aliam id genus rei familiaris partem, indignum esse ingenio non humili stadium: sacerdotis, ac doctoris etiam, gradum expetivit: cumque obstructam utrique viam in Societate cerneret, ab ea defecit. Sacris postea initiatus Ordinibus, & regendæ parœciæ præpositus, cum ob inscitiam & mores incompósitos male rem gereret, loco motus, paralyti constringitur. Dum salubres illi curandæ peteret aquas, curru excussus ad terram affigitur, & impacto fronti clavo prægrandi ferreo, qui modiolum rotæ stringit, & in axe continet, subito exanimatus est.

Admissus Brunæ ad tirocinium juvenis non obscuro loco natus, dum pietatis exercitationes consuevas, & religiosi tironis officium negligentius, ac dicis causa, implet, de repetendo seculo cogitavit. Id secum volvens, externo cuidam

* Gregor. Leti, Theat. Brit. Tom. IV. Boccacini Bilanc. Polit. Tom. III.

* Anno 1625.

famulo certum in diem locumque condixit, quo tirones ituros deambulatum prospexerat. Monet illic ut adsit cum equo, tanquam ad venationem accinctus. Constituta die domo prodit ipse cum duobus novitiis, quos paulatim in destinatum, ubi famulus præstolabatur, locum deduxit. Ut hominem conspexit, rogat quasi ignarus, quem opperiat; & in equum insilit, velut ludibundus, atque artem ostentaturus. At equus antea mansuetus ac tractabilis, tanquam indignatus sefforis perfidiam, furit; ac rursus profum habenis perfractis ruens, dejectum adolescentem & allisum solo proculcat. Sic miserè perit qui abjecto divinæ servitutis dulci freno, tanquam equus contumax, gubernantem Deum, studio pravæ libertatis, excusserat.

Benignius à Superis actum est cum aliis quibusdam. Eorum unus letali vulnerere appetitus ab inimico, Ignatii notum ac salutare nomen inclamavit. Immerentem ac prodigum filium audivit Sanctus Pater. Arcessitus confestim chirurgus inspecto vulnere pronunciat juvenem exacta nocte moriturum: plagam tamen, ne nihil ageret, obligavit. Noctem precando extraxit ager, sancte promittens rediturum se ad Societatem, si viveret. Ratum habuit votum Ignatius. Mane integer ac sanus repertus est, ac promissi memor Societati se restituit; in eaque perseverans debitas pro recepta corporis & animi sanitate gratias agere non cessavit.

Alterum violati quoque sacramenti reum B. Pater eadem benignitate ad pristina reduxit castra. In Indiarum angulum relicta Societate profugerat, duxerat uxorem, susceperat liberos. Nec opinanti spectandum se offert Ignatius, vultu ad terrorem composito; perfidiam exprobrat, minas ingerit; ac manum, veluti vindicare ac reprehendere suum vellet, injicit. Quo aspectu sic desertor est perterrefactus, ut continuo se dedit in viam, ac trecentas permenus leucas non conquieverit prius, quam adveniens Mexicum Societati totum se redderet.

S. XXVIII.
CONGREGATIO
SEPTIMA GENERALIS.

Finem huic posteriori Tomo Partis V. Historiæ Societatis imponet septima Congregatio Generalis. Cum sensisset Claudius Aquaviva aratem in dies magis ingravescere, cogitavit anno MDCXIV. de Vicario Generali nominando, qui, si mortuo, curam Societatis gereret, uti fuerat à sexta Congregatione graviter commendatum. Id quidem à Præpositis Generalibus omnino faciendum præceperat S. Ignatius: tamen, qua erat animi demissione, à Vicario nominando abstinuit. Ejus exemplum sibi potius intuendum, quam audiendum præscriptum, Præpositi Generales arbitrati, hanc nominationem Patribus post suum obitum permiserunt. Id vero cum perturbationibus obnoxium, nec immerito, putaretur; decretum à Congregatione sexta fuit ut Præpositi Generales, ante obitum, scriberent ejus nomen, quem huic muneri præficiendum existimarent. Cui decreto ut Aquaviva morem gereret, schedam in interiore scrinio reposuerat hoc notatam titulo, *Nominatio Vicarii Generalis*: simulque monuerat P. Laurentium de Paulis, Procuratorem Generalem ut, statim atque diem obiisset, ea scheda præsentibus Assistentibus, Patri Bernardo de Angelis Secretario Societatis traderetur, qui eam resignaret legeretque. Hanc P. Secretarius cum aperuisset, eas voces legit: *Iuxta mentem Congregationis Generalis, eligo Vicarium, si Dominus me evocaverit, & nomino ad id officii P. Ferdinandum Alberum, Assistentem Germaniæ, quem spero bene administraturum. Gubernet Dominus IESUS Societatem suam, & peccata mea suo sanguine deleat. Amen, Roma 23. Martii 1614. Claudius, Societatis IESU Præpositus Generalis.* Huic nominationi omnes applauserunt. Erat enim P. Alberus moribus candidissimis, acer ad res gerendas & attentus: diligens idem & diuturno usu negotiorum limatus: creatus omnium suffragiis, nullo excepto, Assistens Germaniæ. Huc accedebat, quod Assistentium esset antiquissimus ordine professionis; ita ut hæc nominatio nihil haberet invidiæ, nihil offensionis. Nullam interposuit moram Vicarius quin Congregationem Generalem indiceret. Ad eam anno MDCXV. exeunte convenerunt electi è provinciis omnibus Patres, ad subrogandum P. Claudio Aquavivæ Societatis universæ moderatorem. Significatum fuerat omnibus ut adessent pridie Nonas Novembris: quamvis enim lex & consuetudo ferat ut sexto post excessum Præpositi Generalis mense, habeatur conventus

tus ad successorem designandum, nihilominus tempus illud prorogare placuit, ne Patrum adventus in æstivos calores incurreret, per quos Urbem ingredi periculosum, Nonis Novembribus confederunt omnes, numero quatuor & septuaginta. Quos cum Pontifex fausta precatione esset profecutus, statim actum est de creando Præposito Generali Societatis, & capita tredecim proposita fuerunt à Vicario Generali, præter alia jam indicata in Constitutionibus, quæ in eo examinari & expendi oporteret, qui censeretur idoneus huic muneri, & illum elapso quadriduo eligendum declaravit.

Aderat præstitutus electioni dies, nempe XVII. Cal. Decemb. Vicarius rem divinam in templo fecit, ac sacrum Christi corpus laturis suffragia Patribus distribuit. A sacrificio itum est in aulam interiorem, in quam inclusi de more sunt; habita oratio Latina, fuscæ preces. Ventum ad suffragia; & quarto, ut loquuntur, scrutinio, id est post repetita quater suffragia, renunciatus est Præpositus Generalis P. Mutius Vitelleschus, Romanus, Assistentis Italiae tunc munus gerens, & annum agens LII. Decretum electionis hanc in formam editum. *Cum in plena & legitima Congregatione, collato numero omnium suffragiorum, plus quam dimidia pars omnium R. P. Mutium Vitelleschum nominaverit & elegerit, ego Ferdinandus Alber Vicarius Generalis, auctoritate Sedis Apostolicæ & universa Societatis, eligo prædictum P. Mutium Vitelleschum in Præpositum Generalem Societatis IESU. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. In domo Professa Societatis IESU. Roma die XV. Novembris anni MDCXV.* Inclinauerant multorum voluntates in P. Joannem Argentum, magnis in Societate gestis muneribus, nec minoribus in eam meritis insignem. Austriam ac Transilvaniam sapientissimè rexerat: Lithuaniam atque Poloniam Visitator iustraverat. Hunc amici ex ultima Polonia properè acciverant, ac nonnulli Mutio Vitellescho parum propitii, quem aiebant nimis amicam & familiarem Claudio Aquavivæ fuisse; tum etiam, favorem sibi multorum & quasi clientelas paravisse, quorum suffragiis ad summam Societatis præfecturam niteretur. Nam hunc rumorem incaluisse, sed statim etiam refrixisse reperio; quod nullis, opinor, idoneis argumentis conjecturive foveretur. Illud certius, conatos esse nonnullos, adhuc supersite Aquaviva, ejus cum Mutio Vitellescho familiaritatem & gratiam rescindere, jactandis suspitionibus, quibus etiam Summi Pontificis aures imbuerunt. Non nesciebat ista Mutius. Itaque supplex Aquavivam adierat, obsecrans ut Assistentis, quod gerebat, munere deposito, liber & quietus, etiam procul Roma, si videretur, degeret. Rejecerat intempestivas preces Aquaviva, & eum bono animo esse iusserat.

Sed parum abfuit quin Mutium voti compotem ipse Pontifex aliud agens faceret. Causa religionis in Gallia laborabat, ob nonnullorum factiones occultas, qui Calvinii erroribus patrocinebantur, & Regis adolescentis * nomen pravis consiliis obtendebant. Pontifex malo, antequam latius glisceret, occurrendum ratus, legato Pontificio, quem in Gallias destinabat, Mutium Vitelleschum adjungere decrevit. Norat hominis eruditionem, insigni modestia, nec minori sagacitate conjunctam: adhuc facilitatem indolis, & eloquentiæ suavitatem, temporum difficultati & asperitati mitigandæ opportunam: idque tam altè Pontificis animo infederat, nullis ut precibus eum à sententia dimovere Aquaviva potuerit. Sed rebus Gallicis paulatim in meliorem statum adductis, languescente jam malo, desitum est de remedio cogitari. Mutius interim sparsos de se rumores adversos tanta moderatione animi & constantia pertulit; ut vel hoc uno argumento probaverit falsos; dignusque fuerit iudicatus eo gradu, quem ut consequeretur, nihil egerat nisi ut illo se dignum, summarum virtutum exercitatione, præstaret. P. Argentus Patrum congregatorum iudiciis, & novem ac viginti, quæ fuerant illi tributa, suffragiis ornatus, Mediolanenæ provinciæ, tum Poloniæ regendæ, præfectus est: Vitelleschus undequadragesima tulerat. Creato Generali Præposito producta Congregatio fuit usque ad VII. Cal. Febr. anni MDCXVI. Ac primo quidem additi sunt XVI. Cal. Decembr. ad Patres jure suffragii ferendi præditos, P. Bernardus de Angelis Societatis Secretarius, & P. Laurentius de Paulis, Procurator Generalis; itemque

63.

R. P. Mutius Vitelleschus creatur Præpositus Generalis Societatis JESU.

* Ludovici XIII.

Itemque P. Nicolaus Trigaltius, Sinicae Missionis nomine in Urbem procurator missus, quamvis constaret ipsi nullum esse jus ad obtinendum in Congregatione locum: quod palam ac disertè declaratum fuit, ne exemplum fraudi esset. Die XIV. Cal. Dec. quæsitum fuit num essent admittendi ad Congregationem qua tertio quoque anno in qualibet provincia cogitur, Provinciales, qui iisdem provinciis præfuisent, si modo tunc adessent; idque extra solitum numerum, si forte illo non continerentur. Censuit Congregatio supra numerum admittendos, non item eorum consultores, de quibus pariter quæsitum erat.

64.
Societas dimissis
alimenta non
debet.

At XIII. Cal. Decembr. gravior est agitata quæstio. Sacerdos è Societate dimissus Pontifici libellum supplicem obtulerat, quo postulabat ut ab ea, dum vitam suppeteret, aleretur. Pontifex Congregationi significari iussit, videret diligenter & expenderet quid juris esset sacerdotibus è Societate dimissis, & à re familiari penitus destitutis, ad alimenta reposcenda. Negotio diu multumque considerato, censuere Patres nihil ejusmodi desertoribus deberi; rogandumque enixè Pontificem ut facta rectaque Societatis esse jura, moremque pristinum, vellent: præsertim cum multæ gravesque subessent causæ, quæ nihil mutandum in ea re suaderent. Ac primo quidem constabat esse perpaucos ad eas inopiæ angustias, post remissum Societati nuncium, redactos; vixque unum alterumve singulis in provinciis reperiri: ac proinde nihil videri causæ cur, ob eos paucos, communis aliqua lex ederetur. Deinde illos ipsos ut plurimum iis naturæ donis, auctis in Societate, atque confirmatis, esse ornatos, ut facile vitam tueri possint, si paulum velint adniti, ac virtutem colere; quam si deserant, multandos potius pœna, quam præmio donandos esse. Quod si nihilominus vivere paulo parcius ac durius cogerentur isti homines, hæc egestatis incommoda non solum esse stipendium iis jure debitum; quippe qui ob flagitia vulgo non levia dimittantur à Societate; verum etiam frenum, quo nonnulli contumaces, aut otii & commodi sui amantiore, in officio & promissa Deo fide continentur: qui si proclivem exitum patere cernerent, à Societate facilius desciscerent. Nitebantur præterea Patres exemplis præjudiciisque gravissimis. Quis enim iudex, inquiebant, ad eos alendos tenetur, quos ob manifestum delictum Ecclesiastico beneficio, vel clericali titulo spoliavit? Quis ordo religiosus id oneris suscipit, ut membra putrida, propter scelerum contagem, a sincero præcisa corpore, foveat nutriatque? Proferebant Tolosani senatus in Gallia edictum, quo sapientissimi senatores pro Societate dixerant sententiam contra P. Claudium Bernardum, eumque petentem alimenta iniquum postulare judicarent. Postremo laudabant Sedis ipsius Apostolicæ sententiam, anni MDXCVII. cum Clemens VIII. examinandæ hujus controversiæ provinciæ Cardinali Matthæio demandavit. Ille, omnibus diu multumque perpensis, retulit negotium hoc aliàs per Summos Pontifices & Congregationem S. Officii examinatum fuisse, nec sancitum quidquam ab illis aut mutatum in jure Societatis & consuetudine reperiri. Quibus auditis Clemens rem integram Societati reliquit, utque pristinum retineret morem iussit. Sane reprehensum à quibusdam fuit jam inde ab initio constitutæ Societatis, quòd illa suos alumnos ante solennem professionem editam, sacerdotio consecraret. Verum id licere nobis voluit Gregorius XIII. *Non obstantibus*, inquit in sua Constitutione *, *Constitutionibus Apostolicis, & in specie Constitutione Pii V. prædecessoris nostri, qua decretum Concilii Tridentini, quòd incipit, Cum non deceat, ... ad Clericos regulares non professos extendit.* Huic Gregorianæ Constitutioni opponunt nonnulli Declarationem nescio quam Sixti V. Sed neque illam proferunt, neque usquam extare liquet.

* *Que incipit:*
Ex Sedis Apost.
Dat. 1573.

65.
Quid observandum
in exequiis
Præpositorum Generalium.
De lazariorum pœne, &c.

In confesso post creatum Generalem Præpositum quinto, qui habitus est XII. Cal. Decemb. illud inter alia nonnulla quæsitum fuit, Quid Præposito Generali demortuo præstandum à singulis provinciis videretur. Censuit Congregatio, ubi primum de illius obitu certi aliquid constiterit, recitandas in templo Societatis preces, quas Ecclesia mortuis addixit: deinde sacrum solenne opportuno die celebrandum eo ritu, quem loci cujusque consuetudo feret, eodemque die rem divinam à nostris pro mortuo faciendam; præter alia sacra, quæ Vicarius Generalis

lis indixerit. Cenotaphium porro, & reliquum funebrem apparatus, pro more ac modestia Societatis adornandum. Præterea censuerunt Patres, nullo dissentiente, nunquam secretis utendum esse suffragiis in Congregationibus Provincialibus, sive de negotiis agatur, sive queratur cogenda sit necne Generalis Congregatio. Editumque in hanc sententiam peculiare decretum. Quinto & quarto Cal. Dec. audita sunt nonnullorum & considerata querela de temerariis, aut malevolis in Societate delatoribus, qui falso crimine quemlibet è nostris, seu verbo, seu scripto accusarent. Visum est Congregationi graviter esse puniendos, imo eos etiam quicumque vitia occulta & gravia nostrorum aliis, quam domorum seu collegiorum præpositis aperirent. Præcepit enixè rectoribus ut serio in auctores inquireretur; quos denunciare qui recusarent, ipsi haberentur pro auctoribus, eademque pœna plecterentur. Quorum vero innocentia patesceret, statim omni suspitione delicti & infamia liberarentur. Decretum præterea ut nemo ad remotos Societatis moderatores dicta factave cujusquam è nostris referat, nisi antea propiores, & singulis domibus aut provinciis præpositos, admonuerit: addatque in iis, quas Romam scribet, litteris monitos à se illos, at frustra, fuisse. Quod si gravitas causæ rem primo loco deferendam ad remotos primariosque præfides suaderet, id quare factum fuerit, significetur. Præscriptæ fuerunt certæ leges ab iis observandæ, qui Societatem ingressi dominium adhuc bonorum suorum retinent. Quando abdicandum illud dominium, quæ ratio interim in administrandis ejusmodi bonis tenenda sit, definitum. Commendatum etiam rectoribus, ut nostros, cum in itinere faciendo ad aliquam Societatis domum divertunt, nec moram ibi longiorem, negotii aut valetudinis causa, trahunt, excipiendos peculiari caritate curarent, neque ab illis quidquam sumerent, etiam sponte oblatum, quo caritas hæc mutua compensari videretur. Quod si qua domus, ob frequentiam hospitem, ac rei familiaris angustias, subsidio indigeret; potestatem fecit Provincialibus eò conferendi, quæ ipsorum arbitrio distribuenda permittuntur. Actum deinde contra illos è nostris, qui externorum freti patrocinio infringunt obedientiæ jugum; & pestem hanc omnes acrioribus remediis compescendam judicarunt.

Ad comprimendam eorum inconstantiam, qui leve onus religiosæ vitæ graviter ferentes, defectionem à Societate, ob causas parum idoneas, aliquando meditantur, hæc fuere communi consensu statuta. Primo, ut isti causas petendæ dimissionis scriptas & obsignatas, Provinciali suo, aut alteri, quem Præpositus Societatis delegerit, proponant; affirmetque aliam sibi nullam, cur deserere Societatem velint, causam præter illas esse. Secundo, ut Provincialis causas ejusmodi cum suis consultoribus diligenter examinatas ad Præpositum Generalem perscribar; simulque addat quid ipse de illis & consultores sentiant. Tertio, si Præpositus Generalis causas parum justas censuerit, tum Provincialis, interposito obedientiæ præcepto, silentium petentibus dimissionem, imponat: non obtemperantes plectat certis, pro rei gravitate, pœnis; etiam, si sit opus, publicis; eisque denunciaret, quandiu pertinaciam hanc non deponent, ipsos gravi culpa obstructos teneri. Quarto, editum fuit præceptum, & pœna excommunicationis latæ sententiæ, in illos qui, vel inscio Provinciali externos de sua dimissione in consilium adhibent, vel eorum ope qualicumque & patrocinio ad obrinendam à superioribus dimissionem utuntur. Quinto, quod si quem nihilominus, nulla legitima nixum ratione, Societas victa ejus importunitate dimiserit, ita dimissio concedatur, ut imponatur illi necessitas incundi Ordinis religiosi, ubi disciplina vigeat; eaque lex & obligatio in dimissionis litteris memoretur: nisi faciendum aliter causa gravissimi momenti suaserit. Sexto demum: qui fictas ob causas, vel ob gravia delicta eo consilio perpetrata, dimissionem extorserint, declaravit Congregatio maximi sceleris reos esse, ac pœnis apostatarum obnoxios; irritam dimissionem; & si res in exteriori foro constiterit, jus ad ipsos puniendos Societati esse.

Redintegrata est, & in medium prolata, quæ ante annos XII. agitata fuerat*, nec decisa, controversia de certo capitis tegmine adjutoribus rei familiaris omnibus constituendo: nam eorum aliqui nonnullis in provinciis utebantur adhuc pileo

66.

Quid agendum cum iis, qui à Societate dimissionem postulant. Pœnis Congregationis.

* An. 1593. Vide Lib. XI. num. 83.

leo sacerdotali. Decrevit Patres istis quidem relinqui posse, ubi consuetudo hæc invaluerat; aliis penitus adimendum, sic, ut ne ipsi quidem Præposito Generali fas esset quemquam illorum deinceps hac lege solvere: idque decretum iis qui ad gradum Coadiutorum Temporalium in Societatem admittuntur, esse indicandum, nec alia conditione in posterum admittendos. Optaverant nonnulli ut feria IV. V. & VI. Majoris Hebdomadæ, nostri abstinerent mutuis; quæ vulgo secundum mensam frequentantur ad relaxandos animos; colloquiis; rursum ut dies V. Cal. Octob. quo die confirmata Societas fuit, præcipua veneratione cole-retur; eoque die sacerdotes nostri rem divinam facerent, ad agendas Numini pro tanto beneficio gratias, ceteri Eucharisticum eandem ob causam sumerent panem. Utrumque Congregatio ratum habuit, & in mores induci iussit. Post alia quædam momenti gravioris agitata, quæ in Decretis editis legere est, moniti denique fuerunt domorum nostrarum, ac præsertim provinciarum rectores, ut quamprimum commodè post initum magistratum fieri posset, studerent rescire quam privilegia, vel facultates, fuissent nostris in eo, cujus regimen susciperent, collegio vel provincia concessa à suis antecessoribus; ac proinde sibi declarandas curarent; ut eas ipsi ratas irritasve facerent. Sancitum ut illæ facultates usque ad eum diem, quo de iis aperiendis palam omnibus significatum esset, obtinerent vim suam: sin verò à subditis tunc non fuissent declarata, pro abrogatis haberentur. Facultates tamen à Visitatoribus concessas noluit Congregatio abrogari à Provincialibus, nisi prius admonito moderatore Societatis. Petit Præpositus Generalis num placeret scribi ad PP. Carthusianos litteras nomine Congregationis, quibus pro ipsorum propensa in universum Ordinem nostrum voluntate, gratiæ haberentur, & meritum in præteritis Congregationibus communicatorum confirmatio iisdem offerretur. Assensit vehementer Congregatio, & litteræ ejus nomine ac mandato, ad RR. PP. Carthusianos fuerunt à Congregationis Secretario scriptæ.

Clausit universam Congregationem Præpositus Generalis, omnes in suarum partem curarum ac laborum invitans; ac palam contestatus ipsorum consilia & monita semper optimam in partem se accepturum, & habiturum longe gratissima: darent operam ut quæ sapienter fuerant decreta, fortiter exequerentur: nullo se loco ipsis defuturum. His dictis, post mutuos amplexus, & gratias Deo bonorum omnium auctori per solennem hymnum actas, septimæ Congregationi finis est impositus VII. Cal. Februar. anni MDCXVI.

PARTIS QUINTÆ HISTORIÆ SOCIETATIS JESU FINIS.

LECTOR adverte in *elogiis Virorum illustrium*, quos in his libris complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab iis gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, revelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia hujusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione divinæ collata: demum nonnullis sanctimonia, vel martyrii videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia, ita meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam quæ à sola suorum auctorum file pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm humanam historiam. Proinde Apostolicam Sacr. Congregationis S. Rom. & Universalis Inquisitionis Decretum anno MDCXXXV. editum, & anno MDCXXXIV. confirmatum, integrè, atque inviolatè juxta declarationem ejusdem Decreti à Sanctiss. D. N. D. Urbano VIII. anno MDCXXXI. factam, servari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per hæc meas narrationes ulli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrii inducere, seu augere, nec quidquam ejus existimationi adjungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi comprobationem; sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi.

INDEX